DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/tractatiodepolyg00bz

TRACTATIO

DE POLYGAMIA,

IN QVA ET OCHINI APOSTATÆ PRO POLYGAMIA, ET Montaniſtarum ac aliorum aduerſus repetitas nuptias argumenta refutantur: addito veterum Canonum & quarundam Ciuilium legum ad normam Verbi diuini examine.

EX THEODORI BEZAE Vezelii prælectionibus in priorem ad Corinthios Epiſtolam.

GENEVÆ,
APVD EVSTATHIVM VIGNON.
M. D. LXXIII.

Th. R. B574

DE POLYGAMIA ET DIVORTIIS.

DVAS quæstiones explicare nunc cõstitui, quarum vna de Polygamia, altera de Diuortiis agam: ita tamen vt multas præterea controuersias, in causis matrimonialibus, quas vocãt, occurrentes, decidam, quantum quidem meæ, id est, Theologicæ professionis ratio patietur. Primùm igitur de Polygamia quæratur.

DE POLYGAMIA.

Polygamiam voco coniugij multiplicationem, cuius duæ sunt species. Aut enim vno eodémque tempore plures vxores ducũtur, aut soluto matrimonio alia vxor ducitur: de quibus speciebus sigillatim dicam. Polygamia quid, & quot ejus species.

Priorem ergo Polygamiæ speciem nego vnquam in foro conscientiæ, vt loquuntur, licuisse vel licere. Contrarium nemo vnquam callidiùs vel impudentiùs defendit quàm impurus ille apostata Bernardinus Ochinus, quibusdam dialogis à bono illo

183259

viro Sebastiano Castellione Latinè conuersis, quibus primùm respõdebo: deinde, refutatis eorum argumentis, veram sententiam confirmabo.

Argumenta Ochini pro polygamiæ priore defensione.

Hæc sunt igitur ipsorum pro polygamiæ prioris defensione argumenta.

Polygamiæ specie priore, vnà cũ refutationibus.

Primùm proferunt exempla multorum sanctorum Patrum, qui quum plures vxores habuerint, nusquam tamen legũtur hoc nomine reprehensi.

Primum. Respõdeo nec multitudine peccãtium excusari posse peccatum

Respons. 1. coram Deo, nec vllo temporis spatio posse contra Dei verbũ præscribi. Talem autem ab initio fuisse Dei institutionem, vt vnus duntaxat cum vna legitimè consuesceret,

2 suo loco ostendemus. Deinde, si vnquam licuit polygamia, licuit certè mundi initio, quũ tunc necesse etiam fuerit (quod alioqui naturæ honestati magis repugnat quàm polygamia) sororem à fratre duci: nec tamen

Gen. 5. 19. ante Lamechum quenquam legimus plures simul vxores duxisse, ex quo satis intelligitur polygamiam sicut & reliquas corruptelas paulatim obtinuisse.

Obiect. 1. Excipit Ochinus etiam si non legamus quenquam ante Lamechum fuisse πολύγαμον, tamen, quũ Moses singularia illa omnia non recensuerit, non cõsequi polygamiam à Lamecho cœpisse. Nam etiam, inquit, simili

mili ratione efficeretur Cainum suscepisse vnicum tantùm filium: & eius quoque posteros, quorum singulares duntaxat proles Moses recenset, quum tamen Cainum dicat ciuitatem condidisse. Respondeo quòd Moses vnicum tantùm Caini filium recenseat, quanuis plures sustulerit, causam esse manifestam: quoniam videlicet, non est ei propositum damnatæ illius familiæ singulas genealogias texere, sed tantùm recensere cõtinuam Patrum seriem ad diluuium, quos electæ vni familiæ Seth opponit. Doceat autem nos Ochinus si ante Lamechũ vsitata fuit polygamia, quorsum Moses hoc expresse notarit in Lamecho. Gen. 4.17. 18. Respõsio.

Obiicit rursum Ochinus illam Lamechi polygamiam Deo non displicuisse, quum ex illa nasci voluerit ingeniosissimos filios, & vtilium artium inuentores. Respondeo absurdissimam esse hanc consequutionem. Dona enim illa, quæ filiis Lamechi Deus tribuit, sunt ex eorum genere, quæ pro singulari sua bonitate ipsis etiam impiis liberaliter cõmunicat. Deinde vt demus Deo gratos fuisse liberos ex illa polygamia susceptos, non tamen consequetur polygamiam Deo placuisse, nisi fortè placet simili argumento colligere placuisse Deo scortationem Gileadi, quòd ex meretrice sustu- Obiect. 2. Respons. 1. 2

183259

lerit Iephtam, cuius fides ac aliæ multæ virtutes insignes celebrantur.

3 Cæterùm etiam si Patres non legamus de polygamia fuisse reprehẽsos, illos tamen idcirco rectè fecisse non cõsequitur. Nam ne Iacobi quidem incestum, vt qui duas simul sorores duxerit, reprehensum legimus: neque filiarum Lothi, cum patre concubitum: neque iniquissimum illud Dauidis pro Siba iudicium cõtra Miphiboseth, neque alia etiam multa. Habuerunt Patres verbũ Dei, habuerunt legem naturæ quantumuis corruptæ, à qua oportuit conscientiam ipsorum redargui.

Concedo tamen multa esse quæ culpam Patrum eleuent, ne quis illos existimet à nobis inter impuros illos scortatores vel

1 adulteros numerari. Primùm enim, tollendæ potiùs prolis, quàm turpis libidinis explendæ gratia, polygamos fuisse pleroſque satis constat: quanuis homines etiam nonnullos hac in re fuisse minimè sit diffitendum, vt ex ipsius Iacobi Rachelem præLia diligẽtis, & Dauidis nõ vna historia liquet. Solomonem autem & pleroſque ipsius successores non est quòd à magna incontinen-

2 tia excusemus. Deinde quanuis exempla maiorum non efficiant quominus peccata sint peccata, tamen leuior est eorum culpa qui

Patrũ polygamia quatenus tolerabilis

qui peccant eorum hominum exemplis, quos alioqui sanctos & honestos fuisse cõstat, quàm qui primi aliquid audent ambigente conscientia. Iudicandi enim sunt illi iudicij potiùs errore quàm aperta improbitate vel de industria peccare: præsertim quoties exemplorum multitudo effecit, vt peccatum quandam rei indifferentis veluti speciem induerit, sicut in polygamia factũ est. Præterea non inuitus agnosco Deum in 3
politia Israelis, atque adeò in illis populi sui primis auctoribus, ad polygamiam veluti conniuere pro sua clementia voluisse, non modò ea ratione qua libellum Diuortij permisit (quem tamen nunquam simpliciter probauit) sed etiam vt præstandæ suæ fidei de innumerabili multitudine ex paucissimis oritura, quendam aditũ hoc etiam modo sibi patefaceret. Etsi autem bene vsus est eo Patrum facto Dominus, non consequitur tamen nullum in ea re fuisse peccatum, in qua Patres à Dei verbo deflexerunt. Sic delegit sibi Solomonem Dominus, nec tamen probauit Dauidis cum Solomonis matre coniugium, vtpote quod disertè reprehẽdat: cuiusmodi multa exempla proferre ex Sacris historiis possemus. 2. Sam. 12. 10.

Hîc verò si quis roget, quid igitur sentiam his Patribus factum esse quos in illa poly- Obiect. 1.

gamia perseueraſſe, nec tamen pœnituiſſe
Reſponſio. legamus: reſpondeo, quòd perſeuerarint, & eius fortaſſe illos non pœnituerit, idcirco factum quòd hoc ſuum peccatum non ſatis intelligerẽt, ob eas quas diximus cauſas. Nego tamen hoc illorum factum venia non indiguiſſe. Etſi autẽ ad miſericordiam requiritur pœnitentia, tamen non neceſſe eſt ſingulorum peccatorum expreſſè nos pœnitere. Quàm multa enim non rectè fiunt, quæ tamen ſceleratè non agimus, ſed duntaxat non ſatis erudita conſcientia? & quàm multa ſunt, quorum obliuiſcimur? Quum autem Patres illi ſeſe in omnibus vitæ ſuæ partibus miſerrimos eſſe peccatores etiam atque etiam agnouerint, non dubium eſt quin hæc illorum pœnitentia, & fides in venturum Chriſtum, ipſos ſeruauerit. Denique etiã ſi Patres expreſsis verbis non fuerũt à Deo de polygamia reprehenſi, dico tamen variis & acribus pœnis ſatis apertè fuiſſe demonſtratum quanto-
Gen.16. pere illam improbaret. Hinc illa Saræ & Agaris cõtentio, quam non tantùm eiectio matris, ſed etiam Iſmaelis exhæredatio cõ-
Gen.30. ſequuta eſt. Hinc Liæ & Rachelis rixæ &
1.Sam.1.16 æmulationes, itémque Annæ & Phenennæ: ídque etiam ex tragicis multis familiæ Dauidis ſceleribus, & multorum Regum Iuda triſtiſ-

triſtiſsimis exemplis liquet.

Obiicit tamen Ochinus diſsidia etiam fuiſſe inter Eſau & Iacobum, & frequentiſſimè, teſtibus quoque Comicis, lites inter ſocros & nurus exoriri, nec propterea tamen damnari πολυπεκνίαν neque affinitatem quæ matrimonio contrahitur. Ego verò minimè inficior quin hoc verum ſit. Dico tamen huiuſmodi lites, ex ſola hominũ improbitate, non autem ex re ipſa, exoriri, vt in polygamia accidit. Neque enim Cain odit Abelem, neque Eſau Iacobũ aliam ob cauſam, quàm quòd ipſi peruerſi & improbi eſſent, adeò vt ſuos etiam patres deſpicerent. Æmulatio autem inter illas mulieres ex eo ipſo orta eſt, quòd vna alteram corriualem pati non poſſet.

Obiect. 2.

Reſponſio.

Gen. 26. 35. & 27. 46.

Alterum Ochini argumẽtum eſt, Quòd nulla expreſſa lege polygamia prohibeatur. Ego verò reſpondeo non eſſe ſcriptas leges de rebus omnibus, quòd ipſi etiam Iuriſconſulti minimè diſsimulant. Relinquunt enim multa Legiſlatores omnes quæ ex conſequenti vel licere vel non licere facilè iudicatur. Id autem vel maximè apparet ex primi ante diluuium ſeculi & proximorum temporum hiſtoria. Neque enim iis temporibus (quæ legibus ab ipſa natura, potiùs quàm ab alio vllo Legiſlatore po-

Secũdum.

Reſponſ. 2.

sitis regebantur) scriptam aliam legem in-
Gen.9 5. uenimus quàm de homicidio: & tamen Iu-
Gen.38.34 da nurum suam Thamaram (quam adulte-
ram esse suspicabatur, quoniam videlicet
postremum suum filium ei desponderat)
2 flāmis adiudicat. Porrò quæ ratio damnat
adulterium cum muliere soluta, damnat
multò magis polygamiam. Præterquam e-
nim quòd Deus vagas libidines prohibet,
peculiarem rationem esse oportet, cur grauiùs peccet, qui quum sit alterius maritus rem habet cum soluta, quàm qui solutus cum soluta scortatur. Ratio autem hæc est, quoniam ille non in sese tantùm, sed in suam etiam vxorem peccat, hic verò non item. Et rursus ille ideo in vxorem suam peccare dicitur, quoniam corpus suum quod vxori mancipauit, scorto iure tradere non potest. Sic autem argumentor à comparatis. Si peccat maritus, qui absque commercij diuturnioris spe aut voluntate cum soluta coit, multò magis peccat qui fidem vxori datam violans, alteri sese perpetua consuetudinis vitæ obligatione tradit, vt fit in polygamia. Itaque naturæ lex adulteria & furta suiipsius prohibens, polygamiam quoque euertit. Sed & ipsa ordinatio coniugij à Deo perscripta polygamiam prohibet à consequenti.

Nam

Nam qui sunt caro vna, tunc vna esse desinunt, quum altera pars cum tertia quapiam carne vnum fit, quæ non est vtriusque illius communis. Vxorem autem suam superinductam priori, certum est fieri vnam carnem cum marito duntaxat, non autem cum priore vxore: ex quo efficitur istiusmodi maritum, dum fit vna caro cum superinducta, desinere vnam esse carnem cum priore, aut certè veluti in duas partes discerpi, vt neutra totum habeat, sed tantùm dimidium. Quid igitur illis fieret, qui plures etiam vxores duabus haberent? quotam illi sui partem primæ vxori relinquerent?

Aliud Ochini argumentum huiusmodi est. Dicit Dominus Dauidi per Prophetam Natham, Dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in sinum tuum. Dauid ergo videtur auctore Domino plures habuisse vxores. Respondeo nusquam legi Dauidem accepisse sibi vxores ex iis quæ Saulis fuerant. Quod enim diuinant Rabbini intelligi hoc loco Æglam & Rispam, quæ primùm Saulis, deinde Dauidis vxores fuerint, commentitium est. Nusquam enim dicitur Ægla Saulis vxor, & Rispa quidem narratur fuisse Saulis concubina, nusquam verò Dauidi nu-

Tertium. 2. Sam. 12. 8

Respõsio 1.

pſiſſe. Deinde ſi valeret Ochini argumentum, profectò non tantùm Polygamiam, ſed etiam inceſtus probaret: ſi quidem cõſanguinei vxoris, eodem gradu iunguntur viro, quo ipſi vxori. Itaque non magis licuit Dauidi ducere vxoris ſuæ Michol nouercas, quàm ſuam ipſius nouercam. Ex hoc autẽ vtroque reſponſo efficitur, quanuis locutio illa IN SINVM TVVM propriè & vſitatè de coniugiis dicatur, illo tamen loco poteſtatem tantùm & imperiũ declarare, ſicut etiam interdũ Latini ſcriptores hac loquendi formula vtuntur: acſi diceret Dominus, Tradidi tibi omnes domini tui facultates, ne exceptis quidem eius vxoribus, vt eas in manu & poteſtate haberes ac ſi tuæ ipſius vxores eſſent.

Quartum. Deut.21.15 Quarto loco ſic colligit Ochinus: Cauetur in Lege, vt ſi cui duæ fuerint vxores, vna quidem dilecta, altera exoſa: & exoſæ natus fuerit primogenitus, non poſſit pater filium dilectæ primogenitum anteponere exoſæ filio. Atqui fieri poteſt vt illa exoſa quæ prior liberos ſuſtulit, poſterior tamen nupſerit: ex quo efficitur vtriuſque matrimonij liberos pariter legitimos eſſe, ac proinde poſterius matrimonium non minùs approbari quàm prius. Reſpondeo vt ſuprà, Deum toleraſſe in populo ſuo polygamiam,

Reſponſio.

lygamiam, (quanuis eam nunquam approbarit tãquam legi suæ cõsentaneam) ideóque in parẽtum successionibus meritò habitos fuisse legitimos, etiam qui ex secũdis aut tertiis aut aliis deinceps vxoribus nati essent. Sed quid hoc ad conscientiæ forum?

Quintum. Deut. 25.5

Quintum Ochini argumentũ sic habet. Iubetur in lege frater excitare fratris sine sobole defuncti semen, nec additur exceptio, nisi iam̃ antea vxorem habuerit, adeò vt hac lege polygamia etiam præcipi videatur. Respondeo exceptionem illam per se satis intelligi, quia probabile non est voluisse Dominum vt quispiam suum ipsius semen, atque adeò vxorem suam negligẽs, alienum semen excitaret, sed voluisse tantùm fratrem in demortui locum substitui. Id autem manifestè indicant verba legis SI SIMVL HABITAVERINT FRATRES: quibus verbis eos excipi apparet qui vxorem, ac proinde familias seorsim distinctas habebant. Quid si præterea excipiam quod verum est, specialem atque extraordinariam esse hanc speciem? Nam alioqui non modò simpliciter prohibetur, sed etiam damnatur vt incestuosum eiusmodi coniugium. Itaque hæc Ochini conclusio si firma fuerit, ad incestum non minùs quàm polygamiam proban-

Respõsio. 2

Leuit. 18. 16.

dam valuerit.

Sextum. 1.Tim.3. Sextò sic argumentatur Ochinus: Vult Apostolus Episcopum esse vnius vxoris virum, ex quo liquet aliquos tum fuisse in Ecclesia polygamos, quos tamen Apostolus non arcet ab Ecclesia, sed duntaxat ab Episcopatu. Mihi verò dubium non est quin multi eo tempore polygami in Ecclesia fuerint, tum ex Iudæis, tum ex Gentibus, quanuis rata semper fuerint in Occidente polygamiæ istiusmodi exempla: sed qui iam tum essent polygami quum Christo nomẽ darent, quos tamẽ an Ecclesia non abiectis posterioribus vxoribus temerè admiserit, nolim sanè affirmare. Verùm vt eos fuisse toleratos demus, hactenus saltem vt inuitas vxores dimittere non cogerentur, noluit tamen Apostolus ex istorum numero deligi qui ministerio Verbi fungerentur, nimirum quòd infamis etiam in illis esset polygamia, ministros autem esse oporteat, quoad eius fieri potest, ἀνεπιλήπτους: nedum vt hinc efficiatur quod vult Ochinus. Nam quod ad eos attinet qui quum Christianos se profiterentur, vna vxore contenti non erant, quid de iis censuerit vetus Ecclesia vel ex eo liquet quòd Clerici istiusmodi nuptiis interesse prohibeantur, quibus etiam non benedicebatur,

Responsio.

cebatur, sicut suo loco declarabimus.

Repulsus autem à verbo Dei Ochinus ad istas rationes confugit. Si concederetur, inquit, polygamia, non ita crebra essent diuortia. Id ego verò prorsus inficior. Diuidit enim polygamia mutuum coniugum amorem, quem singulares nuptiæ inter honestos quidem coniuges, fouent. Septimũ. Responsio.

At enim, inquit rursus Ochinus, numerosior esset generis humani multiplicatio. Octaunm. Respondeo, quærendam esse prolem legitimis modis: nec mala esse nobis facienda, vt bona eueniant. Responsio.

Excipit ille, admissos tamen olim fuisse polygamos ad baptismum, quod fieri non debuit si scortatores vel adulteri habiti essent. Respondeo ciusmodi polygamos etsi non probaretur eorum factum, minimè tamen inter scortatores vel adulteros fuisse numeratos. Plurimùm enim interest inter scortatorem vel adulterum qui non nisi contra conscientiam peccat, & eum qui aliorum exemplum sequutus, plures alioqui honestas vxores priùs duxerit quàm se in ea re peccare intelligeret. Demus autem Ecclesiam ad tempus toleraſſe quod infectum reddi non potuit nisi pars vtraque vltrò consentiret, an propterea polygamiam licuisse consequetur? Nonum. Responsio.

Decimum. Pergit tamen Ochinus, & hoc quoque argumentum torquet, Vxorem, inquit, habere non est repugnans rationibus ad salutem necessariis. Ergo neque vxores habere repugnat regno Dei, ad quod admissi

Respõsio. sunt Abrahamus, Iacobus, Dauid, & alij multi polygami. Excipio, quanuis regnum Dei non sit positum vel in coniugio vel in cælibatu, nihilominus tamen abuti nos posse rebus quantumuis per se indifferentibus. Sit ergo per se ἀδιάφορον coniugium. Manendum est tamen in Dei verbo, quod iubet vt vni vna cõiungatur. Deinde quid absurdius dici potest, quàm licere cuipiã centies aut millies bibere, quoniã intra modũ licet bibere, & neq; in esca neque in potu

2 regnum Dei consistit? Preterea, vt concedam in coniugio non esse positum regnum Dei, at certè in eo positum est vt Dei mãdatis obsequamur, in quibus etiam multa de coniugio præcipiuntur. Et nemini dubium esse potest quin polygamum plures curæ necessariò velut in varias partes distrahant, quod ipsi etiam monogamo vsu venire testatur Apostolus.

Vndecimum. Quid amplius? non est, inquit Ochinus, res monstrosa vt vnicũ caput habeat multa membra: sed illud planè monstrosum est, vt vnum membrum habeat multa capita.

pita. Itaque vt in mulieribus improbetur, in viris tamen probanda est polygamia. Respõdeo hanc demum esse naturalem ac minimè monstrosam corporis structuram, quæ ordini & numero à Deo opifice constituto respondeat. Itaque non minùs esset παρὰ φύσιν vni capiti duos nasos, quàm vni naso tribui duo capita, quoniam videlicet singulis capitibus singulos nasos attribuit Dominus. Inepta est igitur illa Ochini conclusio, nisi forte probarit sicut multis membris vnum caput imposuit Dominus, sic etiam vni marito plures vxores assignasse. Responsio.

Dicit præterea Ochinus multos Patres sic loqui de polygamia, vt eam simpliciter non condemnent. Sed quos patres citat? Leonem quintum, Gregorium secundum & tertium, Romanos pontifices. Deinde sit hoc in genere responsum, examinanda esse scripta patrum ad Verbi diuini normam, quod Augustinus expresse monet inter cæteros, & aduersus Pelagianos scribens factitauit. Duodecimum. Responsio.

At enim, inquit, miris laudibus effert Ambrosius Valentinianum, qui quum duas vno tempore vxores habuerit, atque adeò legem vt id liceret tulerit, nusquam tamen legitur hoc nomine vel ab Ambrosio, acerrimo alioqui disciplinæ Christianæ vindi- Decimũtertium. Nicephor. lib. 11. cap. 33.

ce, vel à quoquam alio reprehensus. Idem quoque de Carolo magno & aliis nonnullis Imperatoribus ac Galliarum regibus scribitur. Respondeo infirmissimum esse istud argumẽtum. Notum enim est quàm licentiosi sint interdum in nõnullis Principes alioqui pij & religiosi: neque perscripta sunt singula Episcoporum dicta vel facta. Quòd si huc deueniendum esset vt probaretur quicquid non fuit in principibus expressè reprehensum, quid obstat quominus baptismi ad extremam vsque ætatem dilationem probemus, Constantini magni exemplo, in quo tamen Imperatore laudando Græci etiam optimi Episcopi modum tenere non potuerũt? Sed quod Ecclesiæ veteris de polygamia iudicium fuerit, ex veteribus Canonibus petendum est, qui digamis benedici prohibent: nec placuisse illam Valentiniani legem satis ex eo constat quòd vnà cum ipso est sublata, sicut nemo est olim inuẽtus qui illam Antiochi de nouerca ducenda, & alteram Claudij de fratris filia patruo collocanda sequeretur.

Respõsio.

Plutar. in Demetrio. Sueton. in Claudio.

Et hactenus quidem Ochino cæterisque polygamiæ defensoribus sit responsum. Deinceps autem solidis firmisque argumentis illam oppugnabo, primùm quidem petitis à triplici coniugij fine. Nam quod

Argumenta contra priorẽ polygamiæ speciem. Primum.

ad

ad prolis propagationem attinet, quãuis in ſpeciem videatur quiſpiam plures liberos ex pluribus vxoribus quàm ex vna tollere poſſe, certum eſt tamen non poſſe fieri vt pluribus vxoribus vnus vir debitum ſoluat, quin eius corpus mirum in modum exhauriatur & inſigniter lædatur. Quales ergo liberos polygamus iſte ſuſcipiet? vt interea turpiſsima & nefaria plurima prætermittam. Iam verò ſi communem vitæ ſocietatem ſpectemus, quis non videt negligi quod à multis curatur? Omitto infinitas rixas, quas ex æmulatione oriri neceſſe eſt, adeò vt nulla penè vitæ ſocietas, nulla tranquillitas ſit in polygamia, ſicut non tantùm ex Abrahami & Iacobi hiſtoria liquet, verumetiam ex eo ipſo quod de impuro illo Mahumete referunt, quem affirmant in vxoris ſuæ odium polygamiam ſanxiſſe. Denique quum idcirco etiam ordinatum ſit à Deo matrimonium, vt aduerſus ſcortationem remedium eſſet, tantùm abeſt vt polygamia ſcortationem tollat, vt etiam caſtos alioqui & pudicos homines ad immoderatam libidinem accendat, ſicut copia cibi guloſos, & copia vini ebrioſos facit.

Illi ipſi certè damnant polygamiam, qui illam vſurpabant, quod videre eſt in Labane Iacobi ſocero. Cur enim obteſtatur Secũdum. Gen. 31. 50.

Iacobum, ne suis filiabus alias vxores superinducat, nisi quòd iniuriam illis hoc modo factum iri existimabat?

Tertium. Sed & Romani Imperatores & quidem nonnulli inter eos acerrimi Christianæ religionis hostes, veluti Diocletianus & Maximianus, polygamiam his verbis damnant, Neminem (aiunt) qui sub ditione sit Romani nominis, binas vxores habere posse vulgò patet, quum etiam in edicto Prætoris huiusmodi viri infamia notati sint. Extant & aliæ eiusmodi sanctiones, adeò quidem vt Arcadius & Honorius ne Iudæis quidem polygamiam concedant.

l. 2. C. de inceſt. & inutil. nup. l. j. D. de iis qui not. infam. l. eũ qui. C. ad leg. Iul. de adult. l. nemo. C. de Iud.

Excipit tamen Ochinus, nec Prætores nec Imperatores illos simpliciter prohibere plures vxores, quum permittant concubinas: sed hoc tantum velle vt vnica sit materfamiliâs. Respondeo, nos quoque non niti istiusmodi constitutionibus Imperatorum prophanorum, neque prætorum Romanorum edictis: sed hoc tamen maximè pro nobis facere, vt ostendamus polygamiam nihil aliud esse quàm vagæ libidinis ipsi naturæ honestati repugnãtis velamentum, quòd homines, sola præeunte naturæ luce, illam vt infamem damnandam esse cognouerint, quanuis humanum quiddam passi, concubinas tolerarint.

Obiectio.

Respons.

Sed

Sed à legibus penitus humanis, agè ad sacros Canonas progrediamur, quos tamen vtinam patribus ad vnicum Dei verbum exigere placuisset. Ij certè digamos, id est, vt ipsi loquuntur, τὸς δυσὶ γάμοις συμπλακέντας, siue πλείοσις γάμοις συμπίπτοντας arcent ab Ecclesiæ benedictione, & durissimis ἐπιτιμίοις multant. Sed excipit Ochinus, Canonas tamen illos vetustiores & puriores simpliciter non prohibere nec dissoluere digamiam. Respondeo veteres Canonas ne de incestis quidem nuptiis dirimendis agere: tum quia Ciuilis erat Magistratus munus sub Imperio Romano leges ferre de diuortiis, tũ verò multò magis, quia verbum Dei & iudicium Ecclesiæ pœnitentiam infligentis, sufficiebat admonendis eiusmodi polygamis vt ab illicito concubitu abstinerent, quum nulla sit pœnitentia eorum qui in peccatis perseuerant.

Quartum. Canon. Apostol. 17. Neocæs. 3. Obiectio. Respõsio.

Præterea rem alienam nemo inuito Domino potest bona conscientia alteri donare. Vir autem non habet in potestate suum corpus. Ergo illud alteri mancipare non potest, cuius vsu ne ad tempus quidem alter alterum fraudare potest. Sed excipit Ochinus posse virum cum priore vxore contrahentem, hanc adiicere conditionem, vt aliam superinducere sibi liceat, & posse

Quintum. 1. Cor. 7. 4. Obiectio.

quoque priorem vxorem iuri suo renuntiare, vt altera possit ex eius consensu superinduci, sicut Sara suam Agarem Abrahamo, Lia & Rachel suas ancillas Iacobo subdiderunt. Ego verò respõdeo hanc esse

Responsio 1. coniugij naturam vt includatur pactum de indiuidua vitæ consuetudine, & mutuò sese in solidum alter alteri vtendum tradat. Itaque si addatur illa exceptio, coniugium non erit, nec duo fient vna caro, si quidem

2 tertiæ locus relinquitur. Deinde, iuri quidem suo quispiam renuntiare potest, at non alieno. Coniugij autem vinculum non astringitur vno contrahentium consensu, sed multò magis ipsius Dei vtrunque coniungentis authoritate: cui nihil detrahere potest mutata contrahentium voluntas, quum dicat Christus, Quod Deus coniun-

3 xit, homo non separet. Præterea, quum iuri suo quispiam renuntiat, diligenter considerandum est, quousque ius illud protendatur. In coniugio autem, alter alterius corpus sic possidet, vt eo quidem vti possit, ad alium verò suo arbitratu illud transferre non item, manente nimirum penes Deum directo dominio, qui etiam vsum il-

4 lius certis conditionibus definiit. Ex his autem etiam illud consequitur, Saræ itémque Liæ & Rachelis factum culpa non ca-

rere,

rere, nec in exemplum trahi oportere.

Sextum. Sed agè, expendamus primam matrimonij institutionem: & primùm quidem obseruemus vnam cum vno à Domino copulari: & mox dicere Adamum, HOC NVNC OS EX OSSIBVS MEIS. Deinde & illud quod sequitur, ET ADHAEREBIT VXORI SVAE (non, VXORIBVS SVIS:) & illud quoque, ERVNT DVO (non, PLVRES) IN CARNE VNA: quæ omnia manifestè polygamiam euertunt. Itaque miris modis conatus est impurus Ochinus hũc locum nobis extorquere. Nam (inquit) etiamsi Deus vnam cum vno coniunxit, singula tamen Dei facta nos non obligant absque expresso ipsius mandato: alioqui, dicendum fuerit vtendum nobis esse vestibus pelliceis, quoniam eiusmodi veste Dominus Adamum & Euam induit: neque celebrandam nobis esse Cœnam Domini, nisi vespere, in aliquo cœnaculo, inter duodecim homines, panibus azymis, & Paschæ festo. Ego verò primùm respondeo nos hîc non considerare simpliciter quòd vnus cum vna fuerit à Deo coniunctus, sed ea simul coniungere quæ sequuntur, nempe ET ADHAEREBIT VXORI SVAE, ET ERVNT DVO IN CARNE VNA. Deinde di-

Obiect. i.

Respons. i.

co hæc verba, ADHAEREBIT VXORI SVAE, significare expressum Dei mandatũ: ista verò ERVNT DVO IN CARNE VNA, expressam Dei benedictionem continere, sed quæ ad duos tantùm pertineat. Præterea quum hoc Dei factum sumimus pro certa omnis legitimi matrimonij norma, tres sequimur diuinæ voluntatis interpretes omni exceptione maiores. Primùm enim Malachias propheta disertè hoc ipsum inculcat, his verbis aduersus polygamos vtens, Nónne (inquit) vnum fecit? & tamen ei non deerat spiritus abundantia. Et cur vnum fecit? quærens semen Dei. Itaque ibi pronuntiat Dominus tolerabiliùs peccare qui vxores priores abiiciunt, quàm qui illis retentis alias superinducunt. Ipse autem Christus Filius Dei de diuortio differens, quo negat matrimonium in foro conscientiæ vnquam fuisse dissolutum, Iudæos reuocat ad illud Dei factum tanquam ad certam & inuariabilem matrimonij regulam: & illa Mosis verba expendit, MASCVLVM ET FOEMINAM (non FOEMINAS) CREAVIT. Itidem Paulus alludens proculdubiò ad illum Mosis locum, disertè scribit, Vnusquisque SVAM VXOREM, & vnaquæque SVVM VIRVM habeat. Postremò quod ad illam

Malach. 2. 15

Mat. 19. 4.

1. Cor. 7. 2.

Ochini

Ochini obiectionem attinet de Cœna Domini & vestibus pelliceis, concedo singula Dei facta nos nec debere sequi per omnia, nec etiam posse si maximè velimus, quoniam non quicquid fecit, etiam faciendum præcepit. In præceptis autem Christi, cuiusmodi est illud, HOC FACITE, dico accidentarias circunstantias à reipsa esse distinguendas. Hoc autem vel illo tempore, loco, pane, numero Cœnam celebrare, circunstantiæ sunt quæ necessariò variantur: in quibus danda est duntaxat opera, vt ritè & ordine omnia fiant, eo videlicet tempore, loco, pane, numero, qui maximè conueniant. Sed panem & vinum sumere & benedicere: panem frangere, dare, accipere, manducare: vinum itidem cum benedictione tradere, accipere & bibere, illa demum sunt quibus constat sacramentalis actio, quæ proinde prætermitti nec possunt, nec debent.

Sed rursus ad illud, *Adhærebit vxori suæ*, Obiect. 2.
respondet Ochinus, scriptum etiam esse, Diliges *proximum* tuũ, ac proinde illis verbis non videri vxorum multitudinem prohiberi, nisi ex hoc etiam colligamus vetari ne plures proximos diligamus. Respondeo Respõsio.
nos non simpliciter considerare verba illa, *Vxori suæ*, sed totam illam sententiam,

Adhærebit vxori suæ, qua significatur peculiaris quædam coniunctio multo arctior, quàm vllum vel sanguinis vel vulgaris amicitiæ ac societatis vinculum: vtpote quæ
1.Cor.7.4. hanc vim habeat, sicut exponit Paulus, vt alter in alterum seipsum transferat, & alter cum altero totus cohæreat. Hoc autem fieri non posset, si pars vna mariti cum vna vxore, altera cum altera vxore cohæreret, quia duæ vxores non possunt in solidum vnius mariti corpus possidere: quoniam realis, ipsiúsque adeò, vt loquuntur, facti est mutua ista corporum coniuctio. Aliud autem est dilectio proximi, quæ, quum in animo & voluntatis consensu tota posita sit, multitudine eorum quos amamus, non impeditur: imò quodammodo adaugetur.

Obiect.3. Præterea ad illud, *Erunt duo* in carne vna, respondet Ochinus, Mosen particulam
Respons.1. illam *duo* non expressisse. At ego respõdeo blasphemam esse hanc Ochini exceptionem, vtpote quæ aduersus Christum ipsum
2 torqueatur. Dico præterea hæc verba vel Adami coniugio non conuenire (quod est dictu absurdum) vel de duobus intelligenda esse, non de pluribus, (quanuis Moses duorum numerum non expresserit) quum tunc non extarent plures homines quàm illi duo, videlicet Adamus & Eua.

Sed

Sed vult Ochinus hanc esse illorum verborum sententiam, vt vir iubeatur diligere vnamquanque vxorem suam, ac si eadem cum ipso caro idémque corpus esset. Ego verò credendum esse dico Christo non Ochino. Christus autem illam particulã *duo* expendi iubet, ex qua colligit eum esse adulterum qui dimissa priore vxore, excepto adulterio, alteram ducat: quod quum ita sit, multò certè grauiùs peccare dicendus est qui plures simul vxores habet. Nego etiam hanc esse verborum Adami sententiam, quam Ochinus comminiscitur, sed hancpotiùs, Deum sic benedicere duobus matrimonio iunctis, vt duo esse desinant, sicut ex verbis Mosis ipse Christus colligit.

Obiect. 4.

Respons. 1.

2

Rursum obiicit Ochinus scriptum etiam esse, Vbi *duo* consenserint super terram, nec tamen inde posse colligi non licere pluribus quàm duobus consentire. Quasi verò dicamus vbicunque occurrit hæc particula *duo*, maiorem numerum excludi. Cur autem Christus eo loco duorum vel trium meminerit, manifestum est, nẽpe non vt maiorem numerum excludat, sed vt ostendat se ne duorum quidem vel trium consensum ac fidem negligere, vt discat Ecclesia etiam ad summã paucitatem

Obiect. 5. Mat. 18. 19.

Responsio.

redacta, se Deo nihilominus curæ esse, & minimè irritas esse suas preces. Apud Mosen autem duos non plures coniungi, duobus non pluribus benedici, ne ipse quidem Ochinus inficiari possit: & Christus hanc vul esse omnis legitimi coniugij normam.

Obiect. 6. Act. 4. 32. Obiicit præterea idem Ochinus illud ex Luca, Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: ex quo colligit posse quempiam cum pluribus vxoribus vnam carnem esse. Respondeo absurdissima hęc esse, quum plurimum inter se differant animorum & corporum coniunctio. Iam enim antea diximus nihil impedire quominus voluntate & affectu cum multis cohæreamus, ita vt animus non distrahatur, sicut animus Ionathæ dicitur conglutinatus cum animo Dauidis quod tamen vix ac ne vix quidem fieri potest, si inter se dissideant quos amamus: quo sensu Dominus dicit non posse nos duobus dominis seruire. Sed in corporum coniunctione, & vsu, quem vocant, reali, fieri non potest, vt vir cum priore vxore in solidum cohæreat, si ad posteriorem quampiam sese adiungat.

Respõsio.

Obiect. 7. Denique sic excipit Ochinus, Si in scortatione duo fiunt vna caro, etiam si scortator sit cum alia muliere matrimonio coniunctus: multò magis quispiam cum secunda vel

da vel tertia vxore (sic deinceps) fiet vna caro. Ego verò hoc argumentum in ipsum Ochinum retorqueo. Concedo enim scortatorem cum scorto vnam carnem fieri: sed addo quod reticuit Ochinus, scortatorem quia cum scorto fit vna caro, desinere esse vxoris suæ carnē: quæ causa etiā est cur propter adulterium potiùs quàm propter idololatriā (quod tamē scelus longè maximum est) diuortiū concedatur: quia nimirū potest aliquis esse idololatra, & tamen vxoris suæ caro: scorti autem & vxoris suæ caro simul esse nemo potest. Sic igitur argumentor: Si adulter desinit esse vxoris suæ caro, multò magis idem statuendum est de polygamo, quoniam videlicet adulterium committere non est coniunctū cum indiuiduæ vitæ pacto, ac proinde adulteriū natura sui non tam repugnat matrimonio quàm polygamia. Respōsio.

Postremò, pronuntiat Christus eū mœchari, qui dimissa vxore sua (excepta nimirum causa adulterij) aliam ducat. Atqui si plures simul vxores habere liceret, non committeret adulterium quisquam aliam ducendo, siue priorem repudiaret siue minús. Ergo prohibetur polygamia. Vult tamen Ochinus mœchandi verbum nihil aliud declarare quàm adulterij occasionem Septimū. Obiectio.

Respons. 1. Mat. 5. 32. illi dimissæ priori vxori præbere. Sed quis non potiùs Christo credat vtrumque simul dicēti, nempe eum qui excepta causa adulterij vxorem dimittat, facere vt illa mœchetur: quòd si præterea vxorem duxerit,

2 mœchari? Deinde quomodo illud ita explicabit Ochinus quod est apud Marcum,

Marc. 10. 11 μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν;

Octauum. Deniq; verbo ἔχειν, & nomine ἴδιον in hac Apostoli sententia ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω, καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα, multitudo maritorum & vxorum tam apertè prohibetur, vt polygamiã, meo quidem iudicio, nemo nisi præfractus & impudenter contumax tueri possit.

Nonum. Postremò considerent saltem isti polygamiæ defensores, quid de hac re sapientes homines iudicarint, ex istis Euripidis

In Androm. sententiis,

οὐδὲ γὰρ καλὸν
Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν ἡνίας ἔχειν,
Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες οἰκεῖν κύριν
Στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλοι.

Et rursus,

Οὐδέ ποτ' αὖ δίδυμα
Λεκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
Οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρους,

Εἶεν

Ἔριν μὲν οἴκων,
Δυσμενεῖς τε λύπας.

Cuiuſmodi alias ſententias multas alij obſeruarunt.

Cæterùm & illud obſeruandum eſt, hac ſpecie polygamiæ comprehendi non eos tantùm qui pluribus ſimul vxoribus vtuntur, ſed etiam qui vna aliã ob cauſam quàm ob adulterium repudiata(qua de re ſuo loco dicemus)aliam ducũt. Quum enim manifeſtè dicat Chriſtus eiuſmodi homines mœchari, conſtat prius vinculum in foro conſcientiæ firmum permanere. Quòd autem Pontificij etiam ad nuda ſpõſalia hoc extendunt, hactenus verum eſt, vt polygamus cenſeatur qui vna ſibi deſponſa, neque legitimè diremptis ſponſalibus, aliam ſibi deſpondet, aut etiam reipſa coniungit. Sponſalia enim verum eſſe coniugium(etſi non de facto, tamen de iure, vt vulgò loquuntur) vel ex eo liquet quòd mulierem alicui deſponſam violans, punitur vt adulter, ex lege Domini: & libello diuortij in ſponſalibus quoque opus fuiſſe colligi poteſt ex Ioſephi & Mariæ virginis hiſtoria.

Matt.19.9

Deut.22. 23.

Mat.1.19.

DE ALTERA POLYgamiæ specie.

Contra alteram polygamiæ speciē argumenta Tertulliani, cum refutatione.

ALTERA polygamiæ species est, quum quis soluto ritè matrimonio aliam ducit: quod nonnulli in quibusuis fidelibus damnant, vt præ cæteris Cathari & Montanistæ, quorū facilè princeps fuit Tertullianus, vir alioqui maximus: nōnulli verò in Clero duntaxat, quem vocant. Nos autem è contrariò id omnibus Christianis semper bona conscientia licuisse ac licere constanter ex Dei verbo affirmamus. Ac primùm quidem Tertulliani, deinde etiā cæterorum argumenta sigillatim refutabimus, veram sententiam postea firmis rationibus probaturi.

Primum.

Carnale quiddam est (inquit Tertullianus & pudori repugnans matrimonij repetitio: contrà verò spiritualius & diuinius quiddam est, in vno matrimonio acquiescere, sicut Ecclesia vnum Deum pro marito suo credit & agnoscit. Respondeo honestas quoque & sanctas esse nuptias, sicut pronunciat Apostolus, absque vlla distinctione, siue primæ siue repetitæ fuerint.

Respōsio 1.

2 Quod si credendū est iis quę de Iosepho Mariæ virginis marito plerique veteres tradunt,

tradunt, voluerit sanè Christus quāuis non ex secundis nuptiis (vt qui ne ex nuptiis quidem natus sit) tamen in secundis nuptiis nasci, quod est magnum illarum ornamentum, quum nusquam reprehendantur, imò generaliter, quemadmodum dixi, nuptiæ vt impollutæ & honoratæ commendentur. Heb.13.4.

Deinde, vt hoc, quàm illud per se diuinius esse vitæ genus Tertulliano concedamus, quis tamen propterea illicitū esse dixerit, quod minùs est spirituale? An enim, obsecro, quoniam excellentius est sermoni & precibus vacare in Ecclesia Dei, quàm cerdonem esse vel negociatorem, idcirco istas artes vt illicitas & nefarias damnabimus? 3

Quid autē initiò dixit Dominus hac de re? Nō est bonū (inquit) hominem solum esse, id est (vt res ipsa ostendit) absque vxoris adiutorio. Ista verò solitudo an non etiam eos comprehendit, quorum vxores obierint? 4 Gen.2.18.

Quòd autem excipiunt nonnulli dictum id esse ante peccatum, non modò pro illis non facit, verumetiam nostræ causæ magnopere fauet. Nam si peccatum hanc vitam plurimis maximisque difficultatibus & incommodis obnoxiam reddidit, eò sanè magis requiritur adiutorium, cuius opera commodiùs vitæ huius cursus conficiatur. 5

Quid autem ad illud respondebit 6

Tertullianus, quòd non modò vtilem & iucundum facit legitimi matrimonij vsum, verùm etiam planè necessarium? Incontinentiam dico & vstionem, cui remedium
1. Cor. 7. 2. esse coniugium, ex Apostoli verbis manifestò liquet. Est autem continentiæ donum non à natura, neque à voluntate per se, sed à mera gratia: ac proinde non omnis incontinentia damnanda est, quum mihi quidem sit verisimile, etsi ante peccatum nulla fuit in mutuæ coniunctionis appetitione ἀταξία, tamen ne primos quidem illos nostros parentes, quum ad matrimonium essent diuinitus vocati, continentiæ perpetuæ donum habuisse, cuius nimirum nul-
7 lus fuisset vsus. Præterea si spiritualius est in vna acquiescere, quàm matrimonium post vnam mortuam repetere, sanè multò magis etiam spirituale est ἄγαμον manere quàm μονόγαμον esse. At si damnandæ sunt idcirco secundæ nuptiæ, cur non etiam
8 propter ἀγαμίαν μονογαμία? Porrò sicut recurrente fame & siti stulti hominis fuerit repetitum cibi & potus vsum reprehendere, quia videlicet naturales non autem voluntariæ sunt cibi & potus appetitiones, quas nisi moderatè saltem expleas, mortem consequi necesse sit: eâdem certè ratione efficitur illos non minùs insanire qui recur-

recurrente mutuæ coniunctionis cupiditate (recurrit autem ad vstionem vsque, in iis omnibus qui donum continentiæ non habent) repetitionem matrimonij damnāt, quum hæc quoque appetitio in suo genere non minùs sit naturalis quàm sitis aut fames: & nisi vstioni tempestiuum remedium à Deo constitutum adhibeas, periculum multò maius, nempe amittendi regni cælorum, subeatur. At enim (aiunt) Obiectio. ista matrimonij repetitio est magnæ incontinentiæ argumentum. Ego verò pri- Respons. 1. mùm omnium dico id perpetuum non esse, quum qui plures vxores duxit, & multos annos postea cælebs vixit, continentior meritò sit habendus, quàm qui cum vna ad extremam vsque senectutem fuit coniunctus. Sed vt ita esse demus, si nemo 2 germanè Christianus est nisi qui continentiæ donum habet, sanè vereor ne non modò ad summam paucitatem redacta, sed etiam abolita iāpridem fuerit Ecclesia. Imò vbi fuerit ante diluuium, & tot post annis, Ecclesia? Et quo tandem iure Abraham, alioqui in Agare non omni culpa vacans, ducta post Saræ mortem Cethura gloriosum illud Patris credentium nomen non amiserit? Est tamen, fateor, (quod & res ipsa 3 conuincit) magna in hac humana imbecilli-

tate ἀταξία, atque etiam fœditas, sed quæ (quum in ipsa re non hæreat, & singulari Dei bonitate, qua legitimo coniugio ab initio benedixit, excutetur) non impediat tum primarum, tum etiam deinceps repetitarum nuptiarum ἀγιασμὸν, quas alioqui
4 Spiritus sanctus nunquam præciperet. Denique quod affert Tertullianus de Ecclesia vnicum Deum sponsum agnoscente, verè quidem, sed admodum imperitè dicitur. Quum enim neque Christus sponsus, neque Ecclesia sponsa vnquam moriatur, mirum non est nullum hîc locum repetitis nuptiis relinqui. Quorsum autem hæc ad huius vitæ imbecillitatem? Pertinent igitur ista ad priorem polygamiæ speciem: isti verò posteriori de qua nunc disserimus, nullo modo conueniunt, quum in repetitis nuptiis, non minùs quàm in iis quæ primæ contrahuntur, vnus cum vna coniungatur, ac proinde Ecclesiæ cum Christo spiritualis coniunctionis μυστήριον & in his & in illis
5 eluceat. Quid, quod vni Deo Ezechiel v-
Ezech. 23. xores duas vno etiam tempore, Oholam videlicet & Oholibam collocat? Quid, quòd apud Paulum dicuntur fideles Christo non nisi priore marito mortuo (peccato videlicet) nubere? Sed de his plurà etiam deinceps.

Pergit

Pergit tamen Tertullianus, & inquit, Quum dicat Apostolus bonum esse homini mulierem non tangere, & nuptias non nisi penè inuitus concedat, idque ex humana æstimatione potiùs quàm ex diuina authoritate, postea quodammodo reuocans quod ex necessitate indulserat (quia videlicet melius, id est minùs malum sit nubere quàm vri) oportuerit autem nos tot seculis proficere: omnino putandum est Spiritus sancti afflatu regi qui nũc arctius quiddam & perfectius à Christianis exigunt, quum necessitatem illam cessare iam oportuerit. Respondeo *Bonum* illic non opponi ei quod sit vitiosum & Dei voluntati repugnans. Nam si ita esset, non modò repetitæ sed primæ etiam nuptiæ vel essent à diabolo (quod apertè falsum esse liquet vel ex eo quòd matrimonij prohibitionem Paulus vocat *doctrinam dæmoniorum*) vel ita essent deprauatæ vt à Spiritu sancto nunquam laudarentur. *Bonum* igitur non aliud apud Apostolum declarat quàm id quod commodum est, & ad hanc vitam absque distractione transigendam accommodatum. Deinde ne hoc quidem respectu vniuersaliter & sine exceptione intelligẽdum esse affirmo illud Apostoli dictum, sed eorum tantùm habita ratione, in quos colla-

Secũdum. 1. Cor. 7. 1. & deinceps.

Respons. 1.

1 Tim. 4. 1.

2

tum est continentiæ donum. Id autem ipse mox declarat, præcipiens vt propter scortationem vnusquisque (id est quisquis vritur , quia continentiæ donum non habet) vxorem suam habeat : nunquàm id certè suasurus nedum præcepturus , si mulierem attingere siue primis siue secundis nuptiis malum , hoc est vitiosum , & Dei voluntati repugnans esset, quum non sint facienda
3 mala vt bona eueniant. Peruertit etiam aliis multis modis eiusdem Apostoli sententiam Tertullianus. Verba enim illa, *Velim* omnes esse vt ego sum , non sunt præcipientis sed optantis : idque non simpliciter (quid enim hoc aliud esset quàm humani generis internecionem optare?) sed suorum temporum , atque adeo Ecclesiasticæ potius vocationis habita ratione. Il-
4 lud autem χρ συγγνώμην nõ eò refertur quò putat Tertullianus, & alij post eum multi, sed ad illud potius quod proximè dixerat Apostolus, nempe vt vnusquisque vxorem suam habeat. Id ergo testatur Apostolus interpretandum ex æquo & bono , siue quoad eius fieri oportere (ad scortationem nimirum fugiendam) videbitur, non quasi vnicuique sine exceptione id præcipiatur. nisi malimus assentiri auctori libri de bono viduitatis , qui inter Augustini opera repositus

repositus est. Arbitratur autem ipse hoc intelligendum, non de coniugio quod liberorum procreandorum causa copulatur, aut fide pudicitiæ coniugalis, & indissolubili, quandiu ambo viuunt, matrimonij sacramento (quæ omnia, inquit, bona sunt) sed de illo immodico carnis vsu qui in cõiugum infirmitate agnoscitur, & interuentu boni nuptialis ignoscitur, de quo ait Apostolus, Secundùm veniam dico, non secundùm imperium. Illa verò verba, *Ego dico, non Dominus*, quum sic accipit Tertullianus acsi Paulus non diuinitus sed humanitus hæc consuleret, à blasphemia non procul abest, & ne refutatione quidem eget. Denique quod idem Tertullianus dicit, oportuisse nos à temporibus Apostolorum proficere, rectè quidem dicit, sed hũc profectum dico positum esse in rebus longè aliis, nempe in fructibus Spiritus qui in epistola ad Galatas commemorantur. Errat autem vehementer qui perfectius aut melius quicquam in Ecclesia vel præstari posse arbitratur, quàm Apostoli mandarint. quod tamen de sui Montani paracleto miserè fascinatus Tertullianus somniat. 5 6

Citat quoque Tertullianus locum illum Ioannis, Quisquis spem habet in eo sitam, castificat sese, vt & ille castus est: & illum Tertium. 1. Ioan. 3. 3.

1.Pet.1.16. Petri, Estote sancti, sicut & ille sanctus
Responsi.1. fuit, Christus videlicet in carne sua. Respondeo non omnia quæ fecit Christus nobis ad imitationem proponi. Nam alioqui nobis esset omnibus ex virgine nascendum, idque in stabulo, & quadraginta perpetuis diebus ieiunandum, & crux in carne verè ac reipsa subeunda: quæ omnia, vt & alia eiusmodi, quis ita insanit, vt à nobis exigat? Multa enim in Christo personalia fuerunt, id est ipsius personæ ac muneris propria. Quòd autem Christus fuit prorsus ἄγαμος, si ad singulos Christianos pertineret, certè ne primæ quidem nuptiæ licerent, quas tamen Tertullianus ipse concedit. Et quorsum ipse Christus testaretur non omnes posse hoc verbum capere? Lo-
2 cus autem ille Ioannis, de generali sanctimonia tum corporis tum animæ intelligendus est, quæ nisi in matrimonio quoque vigeret siue primo siue repetito, nulli
3 certè pij coniugati essent. Denique locum Petri ex Mose desumptum non rectè ad Christi carnem traducit Tertullianus, quũ de purissima sanctissimáque ipsius Diuinitatis natura intelligatur, quãuis alioqui minimè negandum sit Christum, etiam secundùm carnem, esse perfectum omnis puritatis exemplar.

Præterea,

Quartum.

Præterea, inquit ille, scribit Paulus Christum missum esse vt in eo omnia recapitularentur, id est ad suum caput & initium reuocarentur. Initium verò eiusmodi fuit vt Adamo vna vxor semel fuerit adiuncta. Et propheticè quoque tunc dictum est, *Et erunt duo in carne vna.* Sic etiam Noe, alter humani generis parēs, monogamus fuit, & ipsius filij, & præstātissimi quique Patrum, vt Ioseph, Moses, Aaron, Iosue. Etsi autem digamus fuit Abraham, tamen quum ex fide iustificaretur, monogamus erat. Quòd si digamiam eius recipiamus, recipiamus etiam circuncisionem, quoniam non antea fuit digamus. Ego verò respondeo verbum ἀνακεφαλαιοῦσθαι nihil neq; ad monogamiam neque ad repetitas nuptias pertinere, sed huc duntaxat vt significetur quum omnia priùs essent extra Christum disipata, in eum postea fuisse recollecta, sicut docti interpretes explicant. Deinde & hoc dico, minimè stabilienda esse dogmata ex particularibus exemplis. Addo & illud, non minùs multa, imò etiam plura reperiri posse exempla Patrum, istis repugnantia. Sed & Abrahamum constat multò priùs digamum fuisse quàm circuncisum, quum Ismaelem demum circunciderit, annum iam agentem decimumtertium. Denique

Respons. r.

2

3

4

si quid valerent hæc argumenta, torquenda essent aduersus priorem polygamiæ speciem, quia non minùs est vnius vxoris vir qui mortua vxore alteram ducit, quàm qui in vna superstite acquiescit: nisi fortè somniemus contra Pauli doctrinam, & sensum ipsum communem, ne morte quidem matrimonium dissolui, qua de re mox dicemus.

Quintum. At enim, inquit Tertullianus, Lex prohibet sacerdotes matrimonium repetere: sumus autem omnes in Christo sacerdotes.

Respons. 1. Leuit. 21. 13 Respondeo nusquam in Lege extare prohibitionem huiusmodi, sed hoc tãtùm præcipi summo sacerdoti, vt non aliam quàm virginem ducat, idq; mysterij causa, de quo alibi differemus. 2 Deinde quo iure Tertullianus externum illud & carnale sacerdotium soli tribui Leui peculiare, cum nostro spirituali & Christianis omnibus communi comparat?

Sextum. Colligit idem præterea Noui Testamenti exempla, vt Zachariæ monogami, & Ioannis ἀγάμου: Simeon etiam (inquit) non fuit digamus, Anna mansit vidua, solus ex Apostolis Petrus maritus legitur. His addit Eliam ἄγαμον, & Mosen μονόγαμον, quos potissimùm transformationis suæ testes Christus delegit. Postea colligit oportere Chri-

Christianos istis præstantissimis viris esse similes. Respondeo multa poni in huius enthymematis antecedente, quæ si negentur, probari nō possint. Deinde nego istiusmodi consequutionem, non modò quoniam ex istis particularibus constitui affirmans vniuersalis nō potest (quū præsertim multò etiā plura proferri possint exempla in contrariam partem) verùm etiam quia placuisse istos ob eam ipsam causam, quòd alij quidem monogami, alij verò essent ἄγαμοι, probandum fuerit, quod certè nunquam euincetur. Præterea si qua posita esset præstantia, qualem isti imaginantur, tum in ἀγαμίᾳ tum in μονογαμίᾳ, illa certè isti præstaret, ac proinde sicut ex δηγαμίας reprehensione Tertullianus μονογαμίαν suā exornat, ita etiam excludendi essent μονόγαμοι à regno cælorum, & in Marcionis castra transeundum, vt solis ἀγάμοις locus relinqueretur: quod quàm absurdum sit nc Tertullianus quidem ipse ignorasset, vtpote Marcionis hostis, nisi Montanus ipsum fascinasset.

Respō. 1.

2

3

Profert præterea quosdam Scripturæ locos. Oportet enim, inquit, nos fieri pueris similes: pueri verò de nuptiis non cogitant. Atqui si hoc ita se habet, ne primæ quidem nuptiæ licent. Quo verò respectu

Septimū.

Respons. 1.

2

Luc.18.17. id postulet Christus adeò quidem vt denuntiet nos alioqui in regnum cælorum nunquam ingressuros, nempe quod ad malitiam non quod ad nuptias attinet, satis supérque constat.

Octauum. Matth.10 16. Huc etiam idem detorquet aliud Christi dictum, nempe quòd oporteat nos esse columbæ similes, quam vnam, inquit, nouit masculus.

Responsio. Huius autem rei penes illarum rerum scrutatores fides esto. Illud certè cogitare debuit Tertullianus, similitudinem illam ab ipso Christo restringi ad morum simplicitatem.

Nonum. Ioh.4.18. Magis illud vrget quod ex Ioanne citat, nempe quòd Christus sextum illius Samaritanæ virum negauerit esse illius maritum.

Respõsio. Sed in eo fallitur, quòd illam sextò nupsisse existimat, quum potiùs, quinto marito mortuo, scortari cœpisset, ac proinde à Christo non vt πολύγαμος, sed vt scortatrix reprehendatur.

Decimum. At enim, inquit, nuptiis semel duntaxat Christus interfuit, id est quoties illas celebrari voluit.

Responsio. Quid si verò secundæ illæ erãt nuptiæ, quibus Christus interfuit? quod tamen vt omittam, ne refutatione quidem eget hoc argumentum.

Vndecimum. Pergit autem, & inquit: Si non licet separare diuortio quos Deus coniunxit, non licebit

licebit etiã coniungere matrimonio quos Deus seperauit. Respondeo ne hoc quidẽ nos agere, quod frustrà moliremur, nempe vt morte seperatos rursum coniungamus. Sed nimirum aliò torquetur hæc sententia à Tertulliano sic colligente: Si non possunt homines efficere vt diuortio disiungantur quos Deus matrimonij vinculo coniunxit: consequitur ne hoc quidẽ posse, vt nouo matrimonio coniungatur secunda vxor cum eo qui primis nuptiis cum alia coniunctus, ab illa postea est separatus. Assumit igitur Tertullianus duorum alterum in hoc argumento: nempe aut ne morte quidem planè dissolui vinculum, quod planè repugnat Apostolo, liberam esse mulierem pronuncianti post mariti mortem: aut istiusmodi separatione Dominum tacitè admonere superstitem personam ne de matrimonio deinceps cogitet: quod si quis inficietur, vt ego sanè inficior, quî tandem probabit Tertullianus? Vana est igitur tota hæc collectio: neque si ad secundas aut vlteriùs etiam repetitas nuptias veniatur, vel dirimitur quod Deus coniunxit (quum ipsemet per mortem interuenientem diremerit quod coniunxerat) vel coniungitur quod seperauerat, quum de separata persona nõ agatur rursum cum

Responsio.

1. Cor 7.39

eadem coniungenda à qua disiuncta fuit.

Duodecimum. Addit præterea: Si non licet repudiatæ ad alium virum transire, consequitur repudiatam teneri viro quanuis discordi & inimico. Hoc autem si verum est, multò sanè magis videtur teneri viro, à quo nullo ipsius vitio, sed Dominicæ legis euentu, id est sola mortis necessitate separata est.

Responsio. Respondeo hac etiã in re magnopere falli Tertullianũ. Nam vt omittam quod modò dixi, pronũtiari videlicet liberam vxorem post mariti mortem, vt nubere possit cui

Matt. 19. 9. velit, Christus de diuortio differẽs causam adulterij differtè excepit. At si adulterio, (quod tamen per se mutuum corporum vsum non tollit) vinculum matrimonij abrumpitur, id ipsum sanè multò magis de morte dicendũ esse nemo bene sanæ mentis ambiget.

Decimum tertium. Sed non licet, inquit, postulare ab Episcopo, quod ipse habere non potest: Episcopos autem oportet esse monogamos.

Respons. 1. Ego verò & illud & istud nego. Quid enim prohibet quominus ab aliquo postulem, quod vt ipse sibi non habeat, mihi tamen ab alio largiatur? Nam alioqui certè virtus omnis eorum, quæ in Ecclesia dicuntur & fiunt, à ministris penderet, non

2 ab eo qui ministrorũ opera vtitur. Deinde

semel

semel duntaxat contrahendi matrimonij necessitatem vel Episcopis vel aliis vllis Christianis à Domino simpliciter impositam fuisse prorsus nego.

Sed aliud eiusdem argumentum, quanuis non ita manifestè ab ipso expressum, audiamus. Oportet nos, vt bene quippiam velimus, id demum velle quod Deus vult, & id nolle quod Deus non vult. Deus autem vel maritum vxore, vel vxorem marito priuans, videtur omnino superstiti parti indicere vt extra matrimonium viuat, ac proinde vt sit cælebs, & nolle vt ad matrimonium redeat cuius vinculum ipse abruperit. Ego verò illud quidem maximè cõcedo, sed hoc prorsus nego. Etsi enim certum est, quum nemo nisi volẽte Deo moriatur, quoties alter coniugum moritur, non placere Deo vt diuturnius sit illud matrimonium quod ipsemet morte dissoluit: non tamen inde rectè concluditur partem superstitem ad cælibatum vocari, nisi simul habeat continentiæ donum. Decimum quartum. Respõsio.

Erimus, inquit rursum ille, post mortẽ. Quòd si credimus resurrectionem mortuorum, vtique tenebimur cum quibus resurrecturi simus rationẽ de alterutro reddituri. Ego verò resurrectionem mortuorum credo, nos autem proximis rationem Decimum quintum. Respõsio 1.

redditurus nusquam lego nec etiã credo, in hoc potiùs occupatus, quomodo ne Deꝰ quidem ipse mecum intret in iudicium, ac me potiùs sua misericordia per gratuitam in Christo remissionẽ peccatorum absoluat. Denique miror Tertulliano non ve-
2 Mat.22.29 nisse in mentem, hanc ipsam quæstionem esse de qua rogatus à Sadducæis Dominus, Erratis inquit, nescientes Scripturas.

Obiectio. Imò, excipit Tertullianus, si in illo æuo neque nubent, neque nubentur, sed erunt æquales angelis, non ideo tenebimur coniugibus defunctis, quia non erit restitutio coniugij: imò eò magis tenebimur, quia in meliorem statum destinamur, resurrecturi in spiritale consortium, agnituri tam nosmetipsos quàm nostros. Honoratior erit maritus, quo mundior factus erit. In vita æterna magis non separabit quos coniun-
Responsio. xit Deus, qui in ista vita separari vetat. Hęc ille à Montani paracleto fascinatus, quæ ne refutatione quidem egent: tanti est momenti intra verbi Dei limites ita consistere, vt neque ad dextrã neque ad sinistram declines. Institutum est porrò matrimonium initiò, quòd bonum homini non esset solum esse: illic verò, id est in Dei gloria soli certe non erimus, nec eiusmodi adiutorio egebimus, quia Deus erit omnia

in

in omnibus. Finis coniugij alter est humani generis propagatio, cuius tum aduenerit terminus. Scortationi verò quærendum nullum erit ibi remedium vbi hæredes Dei & cohæredes Christi erimus. Quorsum igitur ista noui paracleti deliria?

Hæc sunt præcipua Montanistarũ aduersus successiuè repetitas nuptias argumenta, studiosiùs etiam, opinor, à Tertulliano quàm ab ipso Montano explicata. Operæpretium autem me facturum putaui, si in eorum gratiam (qui lectione illius alioqui maximi, sed maximo cum iudicio audiendi viri delectantur) ea quoque adiicerem quibus contrariæ partis, id est orthodoxorum rationes aggressus est refutare. Quarundã Tertulliani responsionum refutatio.

Itaque ad locum illum Pauli planum & penitus perspicuum, *Mulier iuncta est inquantum temporis vivit vir eius: si autem mortuus fuerit, libera est, cui vult nubat: tantùm in Domino*, ita respondet vt neget sic concedi licẽtiam secundi matrimonij post fidem Christo datam. Primùm quoniam Paulus sibiipsi repugnaret. Si enim, inquit Tertullianus, secundas nuptias remittit, quæ ab initio non fuerunt, quomodo affirmat omnia ad initium recolligi in Christo? Si vult nos iterare coniugia, quomodo semen nostrũ in Isaac semel marito auctore 1. Cor. 7. 39

defendit? quomodo totum ordinem Ecclesiæ de monogamis disponit? Hæc ille, cuius primum argumentum antea refutauimus. Alterum certè nullius est momenti. Nec enim Isaac ideo proponitur nostri seminis auctor, quia semel maritus, sed quia promissionis filius: vt neque Abraham pater credentium, neque Iacob fortis luctator ideo grati Deo quoniam bimariti: sed quoniam vterque Deo credidit. Tertium denique argumentũ nihil mouere quenquam debet, quum de iis demum monogamis agat Apostolus qui veris polygamis, id est iis qui plures simul vxores habuerint, opponuntur, vt suo loco pleniùs demonstrabimus, & nõ modò Chrysostomus, sed ipse quoque Hieronymus egregia illa ad Oceanum epistola interpretatur.

Secundò præfatus Tertullianus Apostolum hæc scripsissæ nouæ adhuc Ecclesiæ quam lacte pasceret, dicit hoc accipiẽdum de ea muliere quæ fuerit in viduitate à fide deprehensa: id est, vt planiùs loquar, quæ non nisi iam vidua ad Christianismum accesserit, cuius nouus maritus (inquit) non deputabitur secũdus, qui est à fide primus: sicut ante fidem soluto ab vxore non numerabitur post fidem secunda vxor quæ post fidem prima est, quoniam ipsa vita nostra

noſtra à fide cẽſcatur. Sed quis iſta violenter ac ſophiſticè prorſus declamata fuiſſe non videt? Cur enim iſta planiùs non explicaret Apoſtolus, præſertim cum rudibus agens? Etſi autem meritò Corinthiis exprobrat Apoſtolus quòd craſſè adhuc errarẽt, tamen minimè rudem fuiſſe illam Eccleſiam, ſatis apertè initio prioris Epiſtolæ te- 1. Cor. 1. 5.
ſtatur, gratias agens Deo quòd abundarent ἐν παντὶ λόγῳ καὶ γνώσει. Præterea quum hoc ipſum Romanis ſcribat quorum fidem ma- Rom. 1. 8.
gnificẽtiſsimè prædicat, quorſum iſta Ter- & 7. 2.
tulliani effugia? Denique quum inter infideles quoque ſint nuptiæ, (nam alioqui nõ ſuaderet fidelibus Paulus vt in eiuſmodi 1. Cor. 7. 12
contubernio manerẽt) certè ſecundus maritus ſemper ſecũdus erit, quicquid garriat Montani paracletus.

Item quum colligerent Orthodoxi, permitti reliquis iterationem matrimonij ab Apoſtolo, cò quòd ſolos qui ſunt in Clero 1. Tim. 5 1.
adſtrinxerit monogamiæ iugo: Tertullian⁹ primùm reſpondet ideo potiùs omnibus præſcribi monogamiam, quia Epiſcopis, & ideo Epiſcopis, quia omnibus. Vnde enim (inquit) Epiſcopi & Clerus? nónne de omnibus? Hìc verò rurſum manifeſta eſt ſophiſtice. Nam ſi *de omnibus* eligi cenſet, qui ex ipſo Eccleſiæ corpore ſeligantur, rectè

loquitur, nec inde consequitur singula Ecclesiæ mẽbra iisdem legibus adstringi quibus Clerus adstringatur. Sin verò *de omnibus* ita interpretatur acsi quiuis ex Ecclesia eligi possit, hoc quidem posito consequetur illud quod colligit: sed quis tandem id verũ esse ipsi largietur? An enim quoniam ex fidelium turba deligũtur Episcopi quales esse iubet Apostolus, ideò vnumquemque ex illa turba consequetur talem esse oportere vt ad Episcopatum sit idoneus, ac non potiùs ij demum ex tanto numero deligendi qui idonei comperientur? Deinde aliud opponit, nempe si verba illa *Vnius vxoris virum*, ad solos Episcopos referantur, idem quoque de cæteris quæ sequũtur virtutibus dicendum, quas tamen absurdum fuerit solis Episcopis tribuere. Respondeo vanam etiam esse istius argumenti consequutionem. Quid enim prohibet quominus Apostolus tum ea recẽsuerit quæ propriè in Episcopo requiruntur, tum etiam quæ habeat vel cũ reliquis omnibus Christianis, vel cum aliquibus duntaxat communia, in quibus tamen ipsum præ cæteris oporteat eminere? Obsecro enim an hoc à quibusuis ad Baptismum accedentibus requirendũ vel ipse Tertullianus cẽsuisset, vt essent ἀνεπίλημπτοι? an vt essent διδακτικοί? Imò

Imò ne in Episcopis quidem ipsis similiter illa omnia requiri res ipsa clamat, quoniam alioqui dicendum fuerit qua ratione non est eligendus qui non sit temperans aut qui sit ebriosus, excludi quoque ἄγαμον, & qui familia & liberis careat, quod vel cogitari nisi perabsurdè non potest.

Ad locum autem Pauli ex Epistola ad Romanos, Quæ sub viro est mulier viuente viro, iuncta est: si autem obierit, euacuata est à lege viri, respondet dupliciter, primùm addenda esse quæ subiiciuntur quibus iubet nos mortificari legi per corpus Christi, id est, inquit, nos aufert à lege quæ non tenet vxorem marito defuncto quominus alij viro fiat, vt ad contrariam nos redigat conditionem, ne mulier amisso viro nubat. Deinde si Apostolus absolutè, inquit, permisisset amisso in fide matrimonio nubere, perinde fecisset quemadmodum & cætera quæ aduersus formam regulæ suæ gessit, circuncidens Timotheum, & rasos quosdam inducens in templum, rebus ita exigentibus vt omnibus omnia fieret quò omnes lucrifaceret. Neutrum verò responsum vnquam vir iste tantus protulisset, nisi fuisset à falso illo Montani paracleto dementatus. Quis enim locum illum vel leuiter inspiciens, non animaduertit Rom. 7. 3.

Paulum ibi ex professo non agere de matrimonio, sed similitudinem à legitimo cõiugio quale fert huius vitæ status, ad spiritualem nostram cum Christo significãdam cõiunctionem ducere? Sublato autem illius similitudinis fundamento (quod iste quidem sedulò facit) ruere sanè & illud oporteat cuius causa est instituta. Apostolum verò vbi tandem comperiemus matrimonium inter illa numerasse quæ ad tempus tolerauit vt omnibus omnia fieret?

Et de istis quidem hactenus. Iam enim tempus est vt aduersus eos differamus qui quanuis non eundem prorsus atque Montanistæ cursum tenuerint, tamen ad eũdem prorsus scopulum naufragium fecerunt.

De repetitis nuptiis Clero interdictis.

Dicturus autem aduersus istos qui repetitas nuptias in solis quos vocant ecclesiasticis cõdemnant, necesse habeo de primis etiam nuptiis interdictis initiò differere, quoniam vterque error iisdem magna ex parte argumentis nititur, & sicut vnus ex altero est enatus, ita etiam altero euerso ruere alterum oportet.

Sed hoc in primis obseruandum est, sic à nobis coniugium laudari in omnibus, vt tamen cœlibatum in nemine, nisi in eo qui vratur damnemus. quod idcirco prædicere volui, ne quis eum à nobis errorem foueri putet,

putet, quem nonnulli (& quidem, vt arbitror, immeritò) Iouiniano & Vigilantio obiecerunt.

Qui igitur arcent à cõiugio in sacris ordinibus constitutos, putà Episcopos, Presbyteros, Diaconos,& Hypodiaconos, non idem per omnia sentiunt. Nam alij perpetuæ continentiæ votum ab omnibus ordinandis exigunt.alij iam coniugatis permittũt vxoris vsum, sed cum duplici exceptione,nempe vt prima fuerit, neque illa mortua repetere nuptias vllo modo liceat,sicut & ei qui cœlebs ordinatus fuerit cõiugium interdicũt. Eum verò qui post baptismum vel sæpius quàm semel vxorem duxerit:vel semel quidem sed viduam acceperit, à sacris ordinibus reiiciunt.Et rursus in his interdictis alij aliis sunt duriores,sicut ex eorum decretis apparet.

Deinde aliæ sunt inter eos ac multiplices,eæque nondum compositæ controuersiæ. Quidam enim iuris hoc esse diuini & quidem scripti: alij iuris, vt loquuntur, ecclesiastici & traditionis arbitrãtur. & hanc rursus nonnulli ab Apostolis ipsis profectam,alij recentiorem esse volunt,&quum hæc initiò libera essent, accessisse postea voti necessitatem. Quid plura? ne in huius quidem necessitatis definiẽdo modo inter

ipsos conuenit. Nam alij votum eiusmodi nulla prorsus ratione, ne si quidem (vt ipsorum verbis vtar) Soldanus cum toto Saracenorum regno fieri vellet Christianus, dissolui posse dicunt: alij verò relaxari certas ob causas volunt, de quibus rursum inter se non consentiunt. Postremò coniugia contra istas leges inita nonnulli non modò vt illegitima, sed etiam vt incestuosa dissoluunt: nonnulli etsi non probant, tamen vt vera matrimonia dirimi iure posse negant. En quibus labyrinthis necesse est inuolui qui recta illa via Domini relicta vel ad dextram vel ad sinistram deflectunt. Illud autem tritissimum est, eò rem euasisse vt nulli longiùs absint ab omni pudicitia: nulli, quod omnibus constat, omni libidinum genere viuant contaminatiores quàm plerique qui hodie pro voto perpetuæ virginitatis depugnare videri volunt: qui tamen, vt res ostendit, coniugia non aliam ob causam damnant, quàm vt adulteria omnéque adeo spurcitiæ genus eò liberiùs exerceant.

Sed nunc quidem nobis non est propositum aduersus illos declamare quos in suis sordibus relinquēdos vt αὐτοκατακρίτους censeo, vt qui ignorat ignoret, & qui sordescit sordescat ampliùs. Refutare tamen illorum argu-

argumenta constituí, vt qui sapere meliora cœperunt, magis ac magis, detecta istorum insania, in simplici puráque veritate confirmentur.

Quoniam autem isti in hac præcipuè controuersia veterum canonum ac patrum authoritatem, & quidem non prorsus inaniter, prætexunt: necessariò quoque aduersus ipsam vetustatem disseram: quod tamẽ sobriè facere constitui, ne editis quidem piorum alioqui patrum, nisi si cogar, nominibus, quod meum studium vobis vtile commodúmque fore spero. Quòd si quis ista omnia sigillatim volet cognoscere, legat Cl. Espensæi, Parisiensis Theologi, libros sex de Continentia inscriptos, quo nemo diligentiùs plura ad hoc argumẽtum pertinentia congessit.

Argumen. Hieronymi pro cœlibatu.

Itaque legis cœlibatus, id est, perpetuæ post ordinationem continentiæ acerrimi defensores, partim quidem pugnãt authoritate verbi Dei: partim verò traditionibus, quæ tum canonibus tum aliis etiam patrum testimoniis confirmantur: partim denique rationibus & vetustis quibusdam exemplis, quæ omnia cuius sint ponderis agè expendamus.

Cogimur autem inuiti proferre in medium quod libenter tegeremus, nisi iam

omnibus plus satis pateret: nimirum sic laudatam fuisse à veteribus nonnullis ac præsertim ab Hieronymo virginitatem, vt planè, quicquid postea prætexere soleant, nuptias non multò minùs quàm ipse Tatianus damnarint, atque adeò illa ipsa quæ refutauimus argumenta ab eo ipso Tertulliano, quem quoties libuit hac in parte & quidem optimo iure, damnant, mutuari ipsos non puduerit. Id autem vt penitus liqueat, Hieronymi aduersus Iouinianum prioris libri partem priorem agè persequamur, singulis ipsius vestigiis insistentes, de digamia demum postea disputaturi.

Iouinianus alioqui & ipse nuptiarum expers, stultam & superstitiosam cœlibatus admirationem non ferens, cõiugium virginitati æquabat. *Ne superbias*, aiebat, *ô virgo, eiusdem ecclesiæ membrum es, cuius & nuptæ.* Proferebat quoque præceptum Domini, & patrum sanctissimorũ exempla, ex quibus colligebat istos pessimè facere qui præpostero cœlibatus studio de nuptiis nõ aliter quàm de malo quodam propter aliud maius malum tolerabili iudicantes, certatim etiam quosuis ad vouendum virginitatem concitabant, quasi in ea re posita esset pietatis summa. Hoc verò ferre non potuit

potuit Hieronymus, vt qui se in primis ita carpi sentiret, vir cuiusuis reprehensionis impatiens: & quasi de religione Christiana actum esset, si virginitati pudicum matrimonium præsertim repetitum æquaretur, virginitatis dignitatem sic profectò tueri cœpit, vt contentionis æstu, vir alioqui magnus, abreptus, planè se reum faciat eius cuius accusabatur, illos nimirum sequi Manichæorum dogma qui coniugium cuiquam incontinenti prohiberent. Hoc autem quum dico, an sim in ipsum contumeliosus, ac non potiùs ingenuè dicam quòd res est, agè ex ipsiusmet verbis & argumẽtis iudicetur. Prouocat ad Paulum iudicẽ, *qui*, inquit, *quicquid statuerit, Christi in eo loquentis legem putemus.* Sanè verò ita faciamus. *Rogatus*, inquit, *Apostolus à Corinthiis vtrum post fidem Christi cœlibes esse deberent & continentiæ causa vxores dimittere, respondet, Bonum esse homini mulierem non tangere. Si bonum est mulierem non tangere, malum est ergo tangere. Nihil enim bono contrarium est, nisi malum.* Quid audio, Hieronyme? professus es initiò te non damnare nuptias: an verò non damnat, qui malum esse dicit, mulierem tangere? Agnoscis paulò pòst, cogente Apostolo, nuptias esse Dei donum: an verò mala sunt

Primũ arg. 1.Cor.7.1.

Respõsio 2

Dei dona? Imò si malæ sunt, an rectè facis
3 quum illas non damnas ? Res autem ita se habet. Contradicentia tum demum sese mutuò expellunt, vt omnes in scholis norunt, quum eidem subiecto simul eodémque, vt loquuntur, respectu tribuũtur. Ponamus hoc axioma, Bonum est ieiunare. An ideò simpliciter malum erit cibum capere? bonum est vigilare, an ideò simpliciter malum est dormire? Minimè profectó. Sed si cuipiam bonum est ieiunium aut vigilia, eidem profectò malum est eo tẽpore, eadémque ratione cibum capere vel dórmire, & contrá. Idem quoque de nuptiis & cœlibatu statuendum est, nec illud concludi rectè potuit. Imò vtræque istæ enuntiationes & in iisdem personis & in diuersis, quanquam non vno, vt vulgò loquuntur, respectu veræ comperientur, Bonum est mulierem non tangere, &, Bonum est mulierem tangere: Bona est continentia, & Bonæ sunt nuptiæ: quod posterius apertè confirmat Apostolus, tum hoc ipso capite, quum dicit eum benefacere qui nuptui tradit suam virginem, tum etiam alibi, quum vult iuniores viduas nubere, nusquã id certè dicturus nisi nubere quoque bonum esset ex ipsius sententia. Præ-
4 tereà quum Boni nomen proinde accipit

Hieronymus

Hieronymus, ac si significaret rem iustam & per se expetendam, quæ videlicet vitio opponatur, in qua denique regnum Dei sit positum, aberrat sanè ab Apostoli scopo, vt qui hoc loco nec de continentia nec de coniugio vt de virtute vel vt de vitio disputet, sed quatenus vitæ commodiùs & minore cum impedimento transigendæ conueniebant. Denique qui mulierem tangere dicit per se malum esse, quomodo non est reus doctrinæ quam meritò Iouinianus cum Apostolo, vt doctrinam dæmoniorum damnat? Fuit enim homicida diabolus ab initiò, & is profectò homicida est qui coniugium vt rem per se malam damnat.

Sed & illud quod in eundem locum annotat quomodo tandem excusabimus? *Nō dixit Apostolus*, inquit, *Bonum est mulierem non habere: sed, Bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu sit periculum.* Subiicit posteà Solomonis sententiam de fœmina quæ virorum pretiosas animas rapit. Item illud eiusdem, Alligabit quis in sinum ignem, & non comburetur? Et ne quid deesset, Erichthonium ex prophanis fabulis depromit, *Vnde*, inquit, *& noster Ioseph, qua tangere eum volebat AEgyptia, fugit ex eius manibus.* Obsecro verò quid aliud di-

Secūdum.

Prouer. 6.

Respons. 1.

2 cerent Manichæi si reuiuiscerent? Totum autem istud inane prorsus est commentum. Quorsum enim coniux mulier, si tangere nefas est? Quòd si tangere non licet citra conscientiæ periculum, certè nec habere
3 quam tangas. Ista verò quæ citantur testimonia tum ex Solomone tum ex Mose, quid aliud ostendunt quàm vel nullum esse inter adulteram & iustam vxorem discrimen, vel magnam ita fieri Spiritui Dei iniuriam per Solomonem & Mosen coniugium probanti, scortationem & adulte-
4 rium reprehendenti? Quid si reuiuisceret Ioseph? Certè responderet sese qua conscientia adulteram abhorruit, eâdem prorsus suscepisse ex vxore sua duos charissimos filios Ephraim & Manassem.

Tertium. Scribit postea in hæc verba: *Prorpter fornicationem autem, &c. Si malum est & ignoscitur, ideo conceditur, ne quid malo deterius fiat. Quale autem bonum est quod conditione deterioris conceditur? Tolle fornicationes, & non dicet, Vnusquisque vxorem suam habeat.*

1.Cor. 7.2.

Respõsio. Respondeo multipliciter hîc quoque erratum fuisse, & quòd ipse Hieronymus etiam postea sese excusare de hoc dicto conatus est ad Pammachium, quasi videlicet nonnisi sub conditione sic loquutus sit, magis etiam eum redarguere, quum antea di-

serte

sertè dixerit hoc ipsum malũ esse, ac proin
de non sit in his verbis vlla conditio, sed
potiùs expressa ἀπολογία. Deinde quod ad 2
rem ipsam attinet, non est certè Christia-
næ religionis quicquam malum concedere
nequid deterius eueniat, quum nunquam
sint facienda mala. liceat hoc quidem ciui-
libus legislatoribus, sicut permissus fuit di-
uortij libellus ad duritiem cordis. Sed quo-
ties de conscientiæ legibus agitur, nun-
quam conceditur malum. Et quorsum ob- 3
secro ignosceretur cuius ipse Deus auctor
est? Paulò pòst enim dicit Apostolus in ge-
nere, *Vnusquisque in qua vocatione vocatus* 1.Cor.7.20
fuit, in ea maneat. An verò nos Deus ad ma-
lum vocat? Redarguat igitur Hieronymum
Augustinus in hunc ipsum Iouinianũ, sed
longè rectiùs scribens. *Coniugiũ*, inquit, *non*
sic dicimus bonum vt in fornicationis compa-
ratione sit bonum, alioqui duo mala erunt, quo-
rum alterum peius: aut bonum erit & fornica-
tio, quia est peius adulterium. Hoc autem fal-
sum esse quis dubitet? Non ergo duo mala sunt
connubium & fornicatio, quorum alterum sit
peius: sed duo bona sunt connubiũ & continen-
tia, quorum alterum est melius. Hæc ille, cui
si ne in hoc quidẽ assentitur Hieronymus, 4
quæsierim libenter ex aliquo Hieronymi
sectatore, quo tempore cœperit esse con-

iugium ex earum rerum genere quæ ignoſcuntur, ſiue quę maioris duntaxat mali vitandi cauſa conceduntur, quod tamen in conſcientię legibus diximus nunquam valuiſſe. Nam certè, ab initio non fuit ſic, quum apertè dixerit Dominus, non eſſe bonum homini ſolum, id eſt extra coniugium eſſe. An vero poſtea vel ἀταξία illa quę in hac potiſsimum cupiditate efferbuit, vel maxima plurimáque illa incommoda quę in iſtam alioqui ſuauiſsimam in communi tuenda familia coniunctionem per peccatũ inuecta ſunt, ita rẽ ipſam peruerterunt vt per ſe vitioſa facta ſit? Certè qui ita ſentit, nihil ſentit: neque hoc vnquam Hieronymus ipſe iſto diſputationis feruore ſedato magis dixiſſet quàm damnandum eſſe cibi & potus vſum aut alias eiuſmodi naturales appetitiones, quoniam homines in iis modum tenere non poſsint, ac proinde nunquam illis ſic vtantur quin venia indigeant. Quaſi vero non ſit magnus interdum ipſius quoque virginitatis abuſus, quum eleemoſynas etiam ipſas Phariſæorum ac ieiunia Dominus reprehendat. Fefellit autem Hieronymum
5 inter cętera nomen συγγνώμης, quod non accipi pro venia quę peccato detur, ſed pro moderatione ex æquo & bono, quum quippiam

quippiam videlicet relinquitur eorũ ipsorum arbitrio de quibus agitur, colligere saltem debuit ex opposito ἐπιταγῆς nomine, quod præcisum mandatũ declarat. Postremò in eo quoque fallitur quòd fornicationum periculo cessante existimat Apostolũ fuisse coniugio quibusuis interdicturum. Quid enim hoc aliud fuisset quàm exitium humani generis quantum in ipso erat procurare? Neq; ignoro quæ subterfugia quæsierit tum idem Hieronymus tum etiam alicubi Augustinus, quum ad hoc argumentum esset respondendum. Stat enim illud firmum, sublato coniugio tolli honestam omnem propagãdi humani generis propagationem, quod nemo, nisi naturæ ipsius hostis & alter Timon μισάνθρωπος, facere cogitarit. Rectè enim idem Augustinus eodem libro, nempe de bono coniugali, cap. 16, *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis.* Nec obstat aliud eiusdem Apostoli dictum quod mox explicabitur. Ipsi certè Romani pontifices, perpetui alioqui nõ tam scortationis quàm coniugij hostes, vbi nullũ erat incontinentiæ periculum, monachos etiam nõnullos, familiæ alicuius seruandæ & publici boni causa, è suis claustris educere non dubitarunt.

6 Obiect. 1. August. de bono coniugali, capite 10. Respons. 1.

2 Obiect. 2. Respons.

Quartum. Addit Hieronymus, *Bonum est illud naturaliter quod comparationem non habet mali,*

Respons. 1. *quod prælatione alterius non obũbratur.* Quid ergo? an coniugium cuius auctor est Deus, & quod ipse Hieronymus mox donum Dei vocat, naturaliter malum esse arbitratus

2 est? Sit sanè viri & fœminæ coniunctio per peccatum magnopere deprauata: verùm si propterea naturaliter esse bona desiit, quid tandem naturaliter bonum in hac vita censuerimus? Certè ne virginitatem quidem quantumuis incorruptam, posse quoque Deo multis de causis ingratissimam fieri, ne ipse quidem, opinor, negarit. Rectè enim Augustinus, de sancta virginitate, cap. 11, *Neque nos hoc in virginibus prædicamus, quòd virgines sunt, sed quòd Deo dicatæ pia*

3 *continentia virgines.* Præterea quæ hæc est argumẽtandi ratio? An enim nuptias comparat cum scortatione, vt minus malũ cum deteriore, qui illas vitandi mali causa præcipit? Continentiam suadet Apostolus ad vitandam tribulationem in carne. Sit igitur etiam ex hoc Hieronymi argumento con-

4 tinentia naturaliter non bona. Alterum autem illud cuiusmodi est, *naturaliter bonum id non esse quod prælatione alterius obumbratur?* Continentiam cõiugum temporariam probat Apostolus, propter ieiunium & preces.

preces. an igitur naturaliter bona non est? Imò quomodò effugiet quin fateri cogatur hoc ieiunium & has preces melius quiddam esse hac continentia, quum hæc ad illa referatur? Et certè ita esse dico, vt ne in iis quidem bonis sit numeranda continentia quæ suapte natura & necessariò bona sunt, quum potiùs prout aliquis eam vel ad bonum vel ad malum refert, vel bona vel mala sit necessariò existimanda: quod manifestè tradit de coniugio, ac proinde de continentia quoque Augustinus. August. de bono cõiu. cap. 9.

Subiicit postea in hæc Apostoli verba, *Vt vacetis orationi. Oro te quale illud bonum est, quod orare prohibet? quod Christi corpus accipi non permittit? quandiu impleo mariti officium, non impleo Christiani.* Imò verò si Christiani & mariti officium ita repugnant vt stare simul non possint, quid isto deterius esse potest, quo illud abrogatur quo nihil est melius? Si mariti officio fungi & precari simul non licet, quid aliud illud est quàm peccare? Vtri credemus, obsecro, tibíne qui mariti cum vxore cõgressum adeò pollutũ esse existimas vt in hæc etiam verba eruperis, *Si semper orandum est vt iubet Apostolus, nunquam ergo cõiugio seruiendum: quoniam quotiescunque vxori debitum reddo, orare non possum:* an potiùs Spiritui sancto Quintum. Respons. 1. 1. Thess. 5.

nuptias πμίας & thorum matrimonij ἀμίαντον in omnibus pronuntianti? Requiris alicuius Synodi auctoritatem? Nicæna Synodus ex Paphnutij cœlibis sententia iudicat vniuscuiusque etiam Episcopi cum vxore sua congressum esse σωφεσύνλω χωλώ. Quod verò non impedit offerētem, quo iure prohibuerit accipientem? Membra simul esse nos non posse Christi & meretricis lego: honestæ vxoris & Christi simul esse nos membra non posse vbi tandem inuenies? Membrū autem Christi quo iure à Christi corpore arcebis? Requiris Patrum auctoritatem? Augustinus tibi rursus velut ex professo contradicens & quidem in eundem Iouinianum scribens, *Decus*, inquit, *est coniugale, castitas, procreandi & reddendi carnalis debiti fides, hoc est opus nuptiarum, hoc ab omni crimine defendit Apostolus.* Res autem ita se habet, vt à melioribus interpretibus est annotatum. Agit Apostolus de extraordinariis siue publicis siue priuatis precibus, quod & res ipsa indicat, & cōiunctum cum precibus ieiunium: nisi fortè sicut assiduè precandum, sic etiam semper ieiunandum aliquis somniet. Cur autem eo tempore prorsus intermittendum coniugalis copulæ vsum, nec id tamen absque magna cautione suadeat Apostolus, apparet ex verbo

χολά-

χολάζεσθαι, nempe vt coniuges toti velut à præsentis vitæ vsu alioqui per se licito auocati melioribus istis vacẽt: quod quidem absit vt damnemus.

Istud autẽ est etiam deterius quod mox subiicit Hieronymus, illud videlicet Petri, *vt videant viri castam vestram conuersationem:* & illud, *Similiter viri cohabitantes, &c.* his verbis explicans, *Ecce*, inquit, *eodem sensu, quia eodem Spiritu, impediri dicit orationes officio coniugali.* Imò nullum neque apud Paulum neque apud Petrum inuenerimus quod illis affingitur. Imò ἀγνότητος nomine commẽdatur id quoque quod hîc damnat vt impurum. Et quod mox subiicit cuiusmodi est? *Cohabitates*, inquit, *iuxta scientiã, vt nouerint quid velit, quid desideret Deus, vt tribuant honorem vasculo muliebri. Si abstinemus nos à coitu, honorem tribuimus vxoribus: si non abstinemus, periculum est honori contrariam esse contumeliam.* Imò verò nomine τῆς συνοικήσεως quis non videt illud ipsum quoque comprehẽdi quod ipse contumeliam, nimium certè indignè & cõtumeliosè, vocat? Quo verò tãdem verbi Dei testimonio confirmabitur ista vocabuli Honoris significatio? & qua ratione istud *secundùm scientiam*, quo sancta prudentia ad regendam vxorem ac familiam necessaria

Sextum.

1. Pet. 3. 2, 7

Responsio.

2

3

4

5

significatur, ad vnam illam Hieronymi cõtinentiam referemus?

Septimũ. Addit autem deinceps: *Verùm ne quis putet ex eo quod sequitur, Vt vacetis orationi, & iterum reuertimini ad ipsum, hoc velle, & non propter maiorem ruinam concedere, statim infert, ne tentet vos Satan per incontinentiam.*

Respons. 1. Pulchra nimirũ indulgẽtia. Et mox, *Quum autẽ*, inquit, *dicat Apostolus iuxta indulgentiam, non iuxta præceptum, an mussitamus adhuc nuptias non vocare indulgentiam sed præceptum? quasi non eodem modo secũda & tertia matrimonia cõcedantur: quasi non & fornicatoribus per pœnitẽtiam fores Ecclesiæ aperiantur, quod ý, his est maius, incestis.* Rursum ergo pergit in suo instituto Hieronymus, & 2 vt nuptias esse probet malum (quod tamen indulgentia cõcedatur, maioris mali vitãdi causa) arripit τῆς συγγνώμης nomen. Enimuerò cui ignoscitur nisi peccato? quanuis nuptias non audeat apertè vocare peccatũ: quod fortasse tamen feciſſet, si veniſſet ei in mentem illud Dauidis, Et in peccatis concepit me mater mea, quum alios locos 3 plurimos magis etiam torqueat. Imò verò quorsum illud de pœnitentia? Ac de digamorum quidem pœnitentia posteà videri-mus. Incestorum autem quorsum, obsecro, meminit, nisi vt eodem quoque remedio, nempe

nempe pœnitentiæ, nuptias etiam primas indigere doceat? Rursum igitur redarguat Hieronymũ Augustinus & quidem in hoc ipso argumento. *Non duo sunt mala*, inquit, *cõnubium & fornicatio, quorum alterum peius: sed duo sunt bona, coniugium & continentia, quorum alterum est melius.* Nomen autem συγγάμιης, quod veniam interpretatur, audiamus quãtò etiam rectiùs exponat quàm Hieronymus. *Mihi*, inquit, *videtur eos qui se non continent coniugari* oportere, *secundùm illam eiusdem Apostoli sententiam, Quòd si se non continent, nubant. Nec ipsis tamen peccatum sunt nuptiæ, quæ si in comparatione fornicationis eligerentur, minus peccatum essent quàm fornicatio, sed tamen peccatum essent. Nunc autem quid dicturi sumus aduersus euidentissimam vocem Apostoli dicentis, Quod vult faciat, non peccat si nubat? Non itaque nuptias secundùm veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissimè dici, non eos peccasse quibus venia datur? Sed illum concubitum secundùm veniam concedit, qui fit per incontinentiam, non procreandi causa, & aliquando nulla causa procreandi.* Hæc ille, velut ex professo istum Hieronymi & aliorũ errorem oppugnans: & eadem inculcans in libello de bono viduitatis, capite 3, & 4. quanquam illi nõ assentior in ipsa senten-

De bono coniugali, cap. 8. & 10.

tiæ Apostolicæ enarratione, quum ne tenuissimam quidem eius rei mentionem faciat Apostolus. Omnino igitur συγγνώμην nō declarat hoc in loco veniam quæ peccato ignoscat, sed potiùs moderationem siue concessionem ex æquo & bono: potéstque vel ad proximè præcedentem sententiam referri, (nequis videlicet existimet imperari quod de secessu ad tēpus dixerat, quod se testatur vniuscuiusque arbitrio relinquere:) vel ad alteram illam sententiam, vnusquisque suam vxorem habeat, quod se dicit non præcipere, ac si omnes oporteret necessariò esse coniugatos, sed vnumquenque hîc sibi iudicem esse oportere, vt videat quid expediat, siue an continere possit an secus: in quam sententiam magis inclino propter illa quæ proximè idem Apostolus subiicit.

Octauum. 1. Cor. 7. 7. Paulò pòst idem autem Hieronymus exponens illud, *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum. Aliud est*, inquit, *velle Apostolum, aliud est ignoscere. Vis scire quid velit Apostolus? Volo homines omnes esse sicut & meipsum. Hoc*, inquit, *volo, hoc desiderovt imitatores mei sitis, sicut & ego Christi. Ille virgo de virgine, de incorrupta incorruptus. Nos quia homines sumus, & natiuitatem Saluatoris non possumus imitari, imitemur saltem conuersa-*

uersationem, &c. Qui enim in Christum credit, debet sicut & ille ambulauit, & ipse ambulare. Hæc ille, rursum ad eosdem scopulos impingens, quod nõ sine tanti viri commiseratione dico, nedum vt eius reprehensione delecter. Mirum est autem eum ab vna vocula sic pendere vt ausit dicere Apostolum cõiugium noluisse, sed duntaxat tolerasse, aut etiam ignouisse. Quasi verò verba illa ἐχέτω, & μὴ ἀποστερεῖτε, nõ sint mandantis. quasi qui dixit, μείνωσαν ὡς κἀγὼ, non dixerit γαμησάτωσαν. Cui enim dubiũ est quin coniugij remediũ, quatenus aduersus vstionem necessarium est, præcipiatur? Imò verò tantũ abest vt non præceptæ sint inconnentibus nuptiæ, vt contrà virginitas nusquam præcipiatur. Quid plura? Hoc ipso *Volendi* verbo vtitur idem Apostolus de viduarum coniugio loquens, *Volo*, inquit, *iuniores nubere, liberos gignere, &c.* quod quũ alibi venisset in mẽtem eidem Hieronymo, hanc rimam quæsiuit qua elaberetur, quòd videlicet Apostolus id quidem voluerit, sed coactus voluerit. quasi verò coactio & volũtas simul stare possint. Etsi enim quædam mixtæ sunt actiones, tamen vt rectè de iis loquẽs Aristoteles definit, ἐοίκασι μᾶλλον ἑκουσίοις. Ne lõgiùs autem aberremus, sic de re ista constituendũ arbitror. Quod pru-

Respons. 1.

1. Tim. 5.

In epist. ad Gerõtiam, de monogamia.

Arist. lib. Ethicor. 13. cap. 1.

4

dentia humana solet cõsulere,& necessitas interdum à legislatoribus ciuilibus extorquet,nempe vt ex duobus malis minus cõcedatur,hoc nunquam conscientiæ concessum fuit ex sacro Dei verbo. Itaque neque Loti exẽplum probandum est in conscientiæ foro,qui oblato filiarũ stupro redimere maius scelus voluerit, neque eiusdem filiarum facinus, neque Abrahami mẽdacium. Nunquam enim malè agendũ est.ac proinde si quo modo nubere malum fuisset,nunquam id concessisset, nedum voluisset vllo
5 modo Apostolus. Supersit ergo vt quod dicit Hieronymus de coacta voluntate,locum habeat tunc demum quum ex duobus bonis acquiescimus in minore , quoniam quod maius est consequi non possumus.

6 Demus igitur Apostolũ potiùs desideraturum fuisse vt omnes Corinthij cœlibes manerent,cõiugium tamen cõcedere,quoniam illud obtineri non posse videbat: an inde concludetur quod vult Hieronymus, nempe ignosci coniugio tanquam minori malo siue leuiori , ac non potiùs in minore bono acquiescere Apostolum,quoniam
7 maius non impetrasset? Sed ne hoc quidem concesserim Hieronymo. Affert enim longe aliam rationem Apostolus , nempe quia vitanda sit tum scortatio tum etiam

vstio,

vstio, ex quo efficitur, non cõcedere ipsum nuptias, vel tanquam minus malum, (hoc enim non est Christianum, nedum Apostolicum) vel vt minus bonum maioris boni obtinendi desperatione, sed potiùs vt bonum necessarium præcipere, quo magnum malum vitetur. Præterea mirari 8
& illud subit non venisse in mentem Hieronymo (malo enim obliuione id factum putare quàm non recta dissimulatione) Apostolum optare Corinthiis cœlibatum, non vt magis arduum aliquid, sed è contrario vt ipsos infinitis coniugij molestiis eximeret, quibus meritò verebatur vt pares esse possent, quum in Christiana religione diuortia nonnisi propter adulterium concedantur. Quum enim coniuges dixisset habituros afflictionem in carne, subiicit statim, *Ego autem* vobis parco. Itaque si qua hîc est indulgentia, ea certè potiùs ad cœlibatum quàm ad coniugium spectat. Quòd si credimus Apostolo (vti 9
sanè credendum est, accedente præsertim ipsa experientia) multò sanè laboriosius est, & molestius in coniugio quàm cœlibem viuere: ac proinde si, (quod isti meritorum dispensatores tradunt,) pro certaminum ratione præmia deferenda sunt, viderint quo iure laureolam, quam vocant,

virginitati potiùs quàm bonis & sanctis coniugibus tribuant. Sed hoc obiter dictum sit, ne quis idcirco me calumnietur peius etiam facere quàm Iouinianum qui nuptias virginitati duntaxat exæquabat. Superest vt illud admoneam, pessimè quoque in hoc facere Hieronymum, quòd il-
1.Cor.11.1. lud Pauli, Imitatores mei estote vt & ego Christi, itémque generalem illam Ioannis exhortationem ad bona opera sectanda, non secus interpretetur quàm si exclusis coniugibus soli cœlibes essent Christi imitatores, quo nescio an quicquam vnquam in nuptias cõtumelioſius euomuerint Manichæi. Satis autem constat illud neque de cœlibatu neq; de cõiugio (quibus in rebus per se nõ magis esse positum regnum Dei certum est, quàm in edendo vel non edendo) sed de ea vitæ regula intelligi quam tum cõiugatos tũ cœlibes sequi oporteat.

Nonum. 1.Cor.7.7. Idem paulò pòst in illud, *Sed vnusquisque proprium donum habet, &c. Quid,* inquit, *velit Apostolus, perspicuum est. quoniam in Ecclesia diuersa sunt dona, concedit & nuptias, ne videatur damnare naturam. Simúlque considera quòd aliud sit donum virginitatis, aliud nuptiarum. Si enim eadem esset merces nuptiarum & virginum, nunquam dixisset post præceptum continentiæ, sed vnusquisque proprium*

proprium donum habet ex Deo. Deus bone, quò feruor iſte contentionis abripuit Hieronymum? Primùm enim quod de mercede vel æquali vel inæquali diſputat, prorſus eſt extra ſcopum: & ſi Paulum interroges, reſpondebit gratuitum donum Dei eſſe vitã æternam, acmercedẽ quidem, ſed quæ credentibus donetur, non quæ operantibus debeatur. Exemplum ad eam rem profertur Abrahami patris credentium, non agami, non monogami, ſed digami, & in quo etiam aliquid hac in parte fas ſit non laudare. Non tamen his nominibus, fateor, iuſtificatus eſt: ſed ne ob virginitatem quidem fuiſſet iuſtificatus, quum fides quæ illi ad iuſtitiam imputata eſt, neque coniugium neque nuptias reſpiciat, ſed gratuitam Dei promiſsionem. Quem autem hominum etiam παρθενικόταπν auſis vel cum patre credentium Abrahamo, vel cum Moſe coniuge (cui non ſurrexit alius ſimilis propheta) comparare? Viue ex fide ſiue coniugatus ſiue cœlebs, nec te fallet qui promiſit quod non debet. Sed neque nos ſanè coniugium neque cœlibatus ſeruabit. Regnum enim Dei non eſt neque hoc neque illud, vt neque eſca neque potus, ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto. Præterea quorſum hîc meminit doni nu-

Reſpõſio 1.

Rom. 6. 23.

Rom. 4. 4.

2

Rom. 14. 17

3 ptiarum? Arripimus tamen hoc vt eum appareat vel detrahere dono Dei quum nuptias malum vocat, vel sibi ipsi contradicere. Sed quàm hoc facit intempestiué? Tantum enim abest vt hæc de nuptiarum dono dicat Apostolus, vt contrà de continentiæ dono hæc omnino intelligat, moderans videlicet vniuersalem illam sententiam, *Velim omnes esse vt meipsum*, quam ad eos solos restringit qui continentiæ donum habent, quoniam, inquit, non omnia vni data sunt, sed hoc quidem isti aliud verò alij: secutus nimirum hac in re Christi vestigia, qui hac ipsa de re differens, *non omnibus*, inquit, *hoc datum est. qui potest capere, capiat.* Sed ne hoc quidem datum est omnibus, vt onus matrimonij possint sustinere. Itaque quid prohibet quominus & illud dicamus de coniugio, Cui datum est vt possit sicuti decet capere, capiat? Testatur enim, vt paulò antè dicebam, Apostolus se ad cœlibatum hortari Corinthios, non vt tanquam robustiores ad difficilius aliquod opus vocet, sicut imaginatur Hieronymus: sed potiùs vt illis tanquam infirmioribus parcat. Denique vbi tandem in-

4 ueniet præceptum illud continentiæ quod hic commemorat, alibi verò nusquam esse ipsemet agnoscit?

Idem postea in hæc verba, *Melius est nubere quàm vri. Ideo*, inquit, *melius est nubere, quia peius est vri. Tolle ardorem libidinis, & non dicet, melius est nubere.* Quasi verò non etiam, & quidem potissimùm, propter generis propagationem nunc quoque vacandum sit matrimonio. quasi non & propter mutua alia officia coniugium ex Dei ordinatione contrahatur. Totū istud igitur inane & friuolū est. Illud verò quod sequitur prorsus est ex Manichæorum doctrina. *Vbi de continentia loqueris*, inquit, *bonum est, ais, mulierem non tangere: &, bonum est eis si sic permanserint vt & ego: & puto hoc bonum eis esse propter instantem necessitatem*: &, *quia bonum est homini sic esse. sed dicis, melius est nubere quàm vri. Si per se nuptiæ sunt bonæ, noli illas incendio comparare: sed dic simpliciter, bonum est nubere. Suspecta est mihi bonitas eius rei quam magnitudo alterius mali cogit esse malum inferius. Ego autem non leuius malum, sed simplex per se bonum volo.* Hæc illæ, quæ paulò antè ex ipso Augustino refutauimus. Ostendimus & illud, non agi hîc de bono cui vitiū opponatur, sed de eo quod conducibilius est ad vitam sine distractione Deo dicandam, idque non simpliciter, sed pro temporis & personarum ratione. Illud autem nunc e-

Decimum. 1. Cor. 7. 9. Respons. 1.

2

3

tiam adiicio, quòd cœlibatũ in rebus propter seipsas expetibilibus collocat, non rectè ab eo dici: quod & ipse Apostolus indicat, quum addit rationes propter quas bonum sit eis non nubere. *propter instantem*, inquit, *necessitatem, & vt faciliùs & sine vlla distractione cohæreatis cum Domino.* &, *quia vobis parco.* &, *quòd cupiam vos ἀμεείμνους εἶ).* Nam alioqui siue cœlebs fueris siue maritus, nihilo certè propterea fueris
4 Deo commendabilior. Quòd si valet istud dictum, *Tolle ardorem libidinis, non dicet Apostolus, melius est nubere:* cur non & istud valuerit: *Tolle præsentem necessitatem, & non dicet Apostolus, bonum est sic vos esse?* Sicut enim illud dixit propter vstionem & fornicationem, ita & istud dixit propter præ-
5 sentem necessitatem. Quid plura? *Dic simpliciter*, inquit Paulo Hieronymus, *bonum est nubere.* An non verò satis simpliciter & perspicuè hoc expressit, quum diceret eum qui nuptum tradit suam virginem bene facere, quanuis qui non tradit (addita tamẽ exceptione) meliùs faciat?

6 Sed ne illud quidẽ rectè Hieronymus, quòd putat in his verbis malum minus, id est coniugium, cum maiore, vstionẽ videlicet, comparari, quum potiùs bonum cum malo sic comparetur, vt quàm necessariò sit hoc

sit hoc bono iis vtendum demonstret, quibus alioqui tãtum imminet malum. Neque verò nouum est hoc dicendi genus. Melius est bene agendo affligi quàm malè agẽdo, inquit Petrus. An verò affligi propter iustitiam, malum est, ac non potiùs insigne bonum? Quid amplius? Si qui non dat nuptum meliùs facit, annon & ille bene facit qui dat nuptum? si beatior est, id est meliore conditione, vidua quæ sic manet, annon & illa beata est quæ rursum nubit in Domino? An verò fieri quicquam potest in Domino, quod malum sit, siue simpliciter siue comparatè consideres? 1.Pet.3.17. 7

Item in illud, *Circuncisus aliquis vocatus est? ne adducat præputium. Per hoc*, inquit, *sicut habentibus vxores Apostolus tollit licentiam eas dimittẽdi, sic virginibus amputat nubendi facultatem.* Et in illud, *Qui liber vocatus est, seruus est Christi. Quanta*, inquit, *fœlicitas non vxoris seruum esse, sed Christi: non carni seruire, sed ſpiritui? Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus est.* Mirum est verò ista potuisse tanto viro excidere, quasi non apertè contrarium affirmet Apostolus, testatus benefacere virginem quæ nubat: quasi etiam templa Spiritus sancti non vocarit idem Apostolus, sanctorum cõiugum corpora. Vndecimum. 1.Cor.7. 18.& 21. 1.Cor.6.17 Respons.1. 2

Duodecimum. 1.Cor.7.26. Respõsio. Illud verò cuiusmodi est? *Si bonum est homini sic esse, malum est ergo homini sic non esse.* Quid si bonũ est ieiunare, an ideo malum est comedere? nempe cui opus est ieiunio. Sed de hoc suprà pluribus.

Decimum tertium. 1.Cor.7.28 Respons.1. Item in illud, *Si acceperis vxorem, nõ peccasti. Aliud est*, inquit, *non peccare, aliud bene facere.* Egoverò contrà affirmo, etsi multa sunt in sese ἀδιάφορα, tamen quicquid agimus vel bene agi vel malè, nec dari posse
2 medium. Et quorsum istam inanem argutiam, quum apertè dicat Apostolus, eum quoque qui virginem nuptum tradat, bene facere? Excipit autem Hieronymus eas
Obiectio. Respons.1. virgines quæ se voto obligarunt. Sed quo
2 iure hoc faciat suo loco expendemus. Illud quidem iam nunc dicam, nõ rectè eum facere videri, quòd quæ de viduis primam fidem violantibus dixit Apostolus, ad virginum vota Apostolo prorsus ignota transferat, de quo etiam alius dabitur dicendi locus.

Decimum quartum. 1.Cor.7.34 Nec illud quoque probari potest quòd scribẽs in hæc verba, *Nupta cogitat quæ sunt mundi: de hoc*, inquit, *dicitur ad Apostolos, Si essetis de hoc mundo, amaret vtique mundus*
Respons.1. *quod suũ est.* An enim dicere audebit Hieronymus, iniũctum cœlibatum Apostolis, aut etiam ipsos simul maritos & seruos Dei

non

non fuisse? Nam si verũ id esset, quomodo nuberet aliqua in Domino? Itaque rectè monet Chrysostomus non poni his verbis 2
discrimen inter cœlibem & cõiugatum, sed inter ἀπεγαμοσύνην & πλυπεγαμοσύνην, neq; esse τὴν μίξιν κακὸν π, sed τὸ ἐμποδίζεσθαι. Denique significat necessariò auocari ad huius 3
vitæ solicitudinem coniuges, in qua etiam plerique modum non tenent: contrà verò cœlibes maxima curarum istiusmodi parte non impediri, vt meritò dixerit Apostolus se parcere Corinthiis quum illos ad cœlibatum hortatur qui continere possunt. At Obiectio.
enim, inquiũt cœlibatus meriti defensores, longè magis arduum est continere quàm cõiugij laboribus defungi. Ego verò fateor Respons. 1.
sanè continẽtiam superare humanas vires, verùm hoc nego spectari ab Apostolo, sed hoc potiùs quòd multò commodiùs & minore cum molestia viuant cœlibes, infinitis videlicet curis vacui, quàm coniugati, iis præsertim temporibus quæ tum præsagiebat Apostolus, ac proinde optimè sibi consulant, qui si cœlibes sint, de vxore ducẽda non cogitent, tum qui quũ iam sint mariti, quoad eius fieri potest, animũ ab istis terrenis abducunt, ad quæ alioqui coniugium eos vel inuitos pertrahit. Interea tamen etiam atq; etiam inculcat adeò sese nemini

laqueum iniicere, vt & moneat tum vnicuique de coniugio cogitãdum qui continentiæ donum nõ habeat, tum vnicuique coniugato sanctè colendum coniugium ne videlicet qui coniugij molestias fugiunt, in aliud pessimum malum, nempe in scortationem vel adulterium, incidãt. Quorsum autem hæc ad inanes istas & prorsus ἀπερισπάστους disputationes de virginitatis & nuptiarum præstantia, quasi in istis per se positum sit regnum Dei? Quod autem idem Hieronymus ἀπερισπάστως, id est, absque distractione, interpretatur sine vlla distensione, & locum Ecclesiastis cõdem refert, tum ipsius Hebræi tũ Græci sermonis proprietate refellitur.

2

3

Decimum quintum. 1. Cor. 7 36

Illud quoque refutatione non indiget quòd per *virginem suam* intelligit carnem cœlibis.

Decimum sextum. 1. Cor. 7. 37

Et quũ illud *bene facit*, dicit mox obumbrari comparatione melioris, quia videlicet subiiciatur *melius facit*, nihil sanè dicit quod possit excusare contumelias quibus antea coniugium affecit.

Decimum septimum. 1. Cor. 7. 40

Sed & illud planè nõ video quî tolerari possit, quòd scribẽs in hæc verba, *Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam: Vbi*, inquit, *ad continentiam prouocat, ibi non hominis, sed Spiritus Dei cõsilium est. vbi autem nubendi*

nubendi concedit veniam, Spiritum Dei non nominat, sed prudētiæ librat cōsilium: ita singulis relaxās, vt vnusquisq; ferre potest. Quasi verò Apostolus alio spiritu de continentia quàm de coniugio sit loquutus.

Et de priore quidem illius Hieronymiani libelli parte hactenus. Nunc verò exposteriore quoque nonnulla eôdem spectantia etiam expendamus.

Ludit Hieronymus in coniugij mysterio quod Christum & Ecclesiam adumbrat. *Christus*, inquit, *in carne virgo, in Spiritu monogamus. Vnam enim habet Ecclesiam.* Hoc ipsum quoque scribit Tertullianus, & quidem eodem prorsus, vt apparet, spiritu. Sed quàm hoc rectè? Primùm enim si in primis nuptiis saltem Hieronymus sacrum hoc mysterium cum Apostolo verè agnoscit, cur toties anteà malas pronuntiauit? Deinde si hæc coaptatio coniugij carnis cum spirituali istis anguſtiis definitur, sanè desinit maritus esse typus Christi simulátque virgo esse desiit, quod tamen ex diametro repugnat Apostoli consilio. Quomodo enim ista congruerent cum matrimonij typo, *Membra sumus corporis eius?* Postremò sit sanè Christus vnius Ecclesiæ cōiux in spiritu, annon etiam qui secundæ, vel tertiæ, & sic deinceps, vxoris cōiux est,

Decimum octauum.

Responsi. 2. 3.

vnam habet non plures? Sed, inquies, hæc fuerit secunda, vel tertia: vna autem est Ecclesia. Nempe quoniam ea est vitæ nostræ imbecillitas. Sed quo iure vult Hieronymus, carnalia non esse spiritualium typos, nisi penitus illis respõdeant? & istius distinctionis an nulla est vel leuissima apud Apostolum mentio?

Decimum nonum. Ephes. 5.

Ista verò penitus sunt Manichæorum, quòd hæc Apostoli verba, *Diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam*. Item, *Vnusquisque suum vas possideat in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ Deum non nouerunt.* Item, *Non vocauit nos Deus ad immunditiam, sed in sanctificationem, &c.* torquet aduersus matrimonij copulam, quum Apostolus Paulus ista quidem aduersus scortationem diserte scribat, quam etiam nominat: illud verò omnia coniugalia officia planè comprehendat.

1. Thes. 4. 4

Respõsio.

Vicesimũ.

Quis autem illud excusare possit quòd quæ apud Apostolum dicuntur de vetere homine exuendo & nouo induendo secundùm imaginem creatoris sui, vbi non est masculus neque fœmina, rursus eôdem detorquet? *Nam*, inquit, *imago creatoris non habet copulam nuptiarum. Vbi sexus diuersitas aufertur, & veteri homine exuimur, & induimur*

induimur nouo, ibi in Christum renascimur virginem, qui & natus ex virgine, & renatus per virginem est. An hoc verò nõ est nuptias planè & ex professo execrari, & quidem verbo Dei manifestissimè deprauato? Responsio.

Ad illud, *Crescite & multiplicamini. Necesse fuit*, inquit, *prius plantare syluam & crescere, vt esset quod postea posset excidi.* At istud quod tu vis, Hieronyme, non est syluam putare, sed radicitus extirpare. Vicesimũ primum. Responsio.

Et istud allegoricum siue pythagoricum potiùs quàm Christianum, cuiusmodi est? *Scriptura*, inquit, *in primo, tertio, quarto, quinto, & sexto die, expletis singularum operibus dixit, & vidit Deus quia bonum est. in secundo die hoc omnino subtraxit, nobis intelligentiam derelinquens non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum.* Argue igitur, Hieronyme, opificem, qui ex vno duos fecit, quia bonum homini non erat solum esse. Quòd si volebas hîc philosophari, cur non potiùs considerasti, vnum coniugio non diuidi, sed ex duobus vnum fieri? An non verò etiam longiùs ab vnitate discedunt alij numeri quàm binarius? Sed friuola sanè ista sunt, & æonibus Valentini non dissimilia. Causa verò cur illud in opere secundi diei non sit à Domino ex- Vicesimũ secundum. Responsio. 1 2 3 4

pressum satis est manifesta, quoniam videlicet aquarum integra dispositio tertio demum die perficitur, in quo etiam bis illud idcirco dicitur.

Vicesimũ tertium. Gen.7.1. & 7. Respõsio.

Quum, inquit, *Noe ingreditur in arcam, quæ est Ecclesiæ typus, tam ipse, quàm filii eius ab vxoribus separantur.* Imò redarguit te Moses ipse, Hieronyme, vt qui non aliter nec aliis verbis loquatur de Noe in arcam cum familia sua ingressu quàm de exitu differens. Et quum quatuor maritos, & totidem vxores, nec vllos alios in arcam ingressos legamus, quãtò iustiùs colligeremus cœlibes ab Ecclesia Dei excludi, si ludere inanibus istis allegoriis tecum vel cum Origene placeret? Itaque totum hunc locum prætermitto libens, ne quis me studiosè captare putet quod in tanto viro reprehendam.

Alia igitur quæ speciem aliquam probationis habent aggredior.

Vicesimũ quartum. Exod.9.10 Respõsio.

Populus accessurus ad montem Sina, & Dei auditurus eloquium, tribus diebus sanctificari iussus est. Concedo. Nam sanè vel ex ipso mundo exire oportuit, si fieri potuisset, sanctam Dei legislatoris vocem audituros, & ipsius Dei colloquio interfuturos. Oportuit quoque sub pædagogia Legis positos suam immũditiam externis signis agnoscere &

re & deteſtari, vt diſcerent impuris, cuiuſmodi omnes naſcimur, nullum patere ad Deum acceſſum: ac proinde Legem iis omnibus ad mortem cedere quorum corda non ſint per fidem in Chriſtum purificata. Ecquid autem non polluitur hominum vſu coram eo cuius conſpectum ne Angeli quidem beati ſuſtinent? Itaque & tua iſta continentia, Hieronyme, coram ipſo impura eſt, quãtancunque voles animo concipere. Et ipſum Ioſue, (quem tu propter cœlibatum ipſi etiam Moſi, contra expreſſum Dei verbum anteponis) cæteróſque virgines, ſiqui erant in Iſrael, mundare cum cæteris veſtes oportuit. Vbi autem inuenies quotiès ad Dominum accedebant Iſraelitæ, iuſſos ab vxoribus abſtinere, aut veſtes mundare?

Quærit Achimelech daturus Dauidi panes propoſitionis edendos, an pueri, id eſt, qui eum comitabantur, mundi eſſent ab vxoribus, *quoniam*, inquit Hieronymus, *quod ad munditias corporis Chriſti, omnis coitus immundus ſit.* Nos verò noſtráq; omnia quis non fateatur coram Deo & Chriſto ipſius, nihil aliud eſſe quàm impuriſsimas ſordes? Sed hoc ſanè ad continentiſsimos etiam quoſuis pertinet. Interea ſcimus nos omnes, ſiue virgines, ſiue maritos, in eo

Viceſimũ quintum. 1. Sam. 21. 4

Reſponſ. 1.

puros & sanctos haberi qui factus est nobis à Deo Patre iustitia & sanctificatio, atque adeò sanctificauit seipsum pro nobis, vt & in ipso sancti simus. Istud verò quod dicit de quouis coitu Hieronymus, refellit Apostolus, quum coniuges esse dicit Christi membra: & alius, quum nuptias, nuptias, inquam, veras, non quæ sint continentiæ voto amputatæ, vocat πμίξις & cubile impollutum. Quod autem quærit ex Dauide sacerdos, aliò spectat, quum aliis etiam modis viri vel ex solo mulierum contactu polluerentur, vt eis nihil sacrum attingere ad vesperam vsque liceret, nedum vt propositionis panibus extra ordinem vesci possent. Quorsum autem hæc ad coniugium alicuius immunditiei damnandum, quum sacerdotes ipsos coniugatos fuisse legamus, abstinuisse autem necessariò à suis coniugibus vllo tempore non legamus?

2 Hebr. 13.

3 Vide Leuitic. 15.

Vicesimũ sextum. Deut. 20. 24. Responsio.

Qui vxorem duxerit, & qui plantauerit vineam veluti propagines filiorum, prohibetur ad bella procedere. Non enim potest Domini seruire militiæ, seruus vxoris. Hoc verò non ita est, quod pace tua dixerim, Hieronyme, vt tua te plane memoria fefellerit. Quomodo enim bellasset Moses bella Domini, imò quis pugnasset in Israel, maritis à militia

militia excluſis? & vbi legiſti, maritos eſſe, non Domini, ſed vxorum ſeruos? Hoc quidem inuenio, indulgere Dominum vacationem militiæ, iis qui vineæ ſuæ (hæreditatis videlicet chariſimæ) nullum adhuc fructum perceperint: & ſponſis qui nondum vxores duxerint, itémque nouis primo anno coniugibus. Cauſa verò quã affers, nec ſanè vera nec veriſimilis eſt: ſed hęc potiùs, quòd benignus pater aliquid concedere huiuſmodi affectibus voluerit, quum etiam periculum eſſet ne qui animum domi haberent, parum alacriter foris bellum gererent. 2

Iſta verò quæ ſequuntur, quis tandem poſsit in Hieronymo excuſare, quum centum minimùm Scripturæ teſtimonia velut ex profeſſo in manifeſtam coniugij contumeliam atque adeò execrationem, paucis paginis deprauet? Hoc verò quum meritò redargui poſtea minimè ignoraret, quis non doleat ipſum tamen tantum hoc crimen (nec enim ſcio quid deterius committere quiſquam poſsit Scripturarum interpres) inani excuſatione diluere quàm agnoſcere & deprecari maluiſſe? Nos tamẽ hoc quàm pauciſsimis fieri poterit abſoluemus.

Primùm quicquid Solomon in Prouerbiis differit aduerſus malas mulieres, tor- Viceſimũ ſeptimum.

quet aduersus coniugium: sed quàm tempestiuè id faciat, ex his saltem intelligatur.

Scribit Solomon in Prouerbiis, inquit Hieronymus, *Mulier insipiens & audax, inops panis efficitur. Cuius panis? nempe illius qui de cælo descendit.* Atqui nusquam id apud Solomonem inuenias, vt liquidò constet Hieronymum hanc criminationem ne inspectis quidem locis, impetu quodam potiùs quàm certo animi iudicio effudisse, quod tamen certè facere nullo modo debuit. Sed vt hoc extet, quis non istam rationem peruertendi Scripturas damnet? Euadet sanè inops & famelica quæcunque est insipiens & procax. Quorsum hoc aduersus nuptias, vel ad modestas & cordatas coniuges? *At enim*, inquit Hieronymus, *hoc periculum in memet fieri graue est.* Ergo eò prudētiùs agito, & Deum adhibeto in consilium. Sed annon multò grauius est, vt malum incertū effugias, teipsum vltrò dare in vstionis & fornicationis præcipitium? Denique quæ hæc agendi ratio est, quæ in malas mulieres dicuntur aduersus nuptias torquere, & quæ sanctarum & honestarū mulierum laudes ab eodem Solomone prædicātur, silētio prætermittere?

Resp̄sio 1.

2

Obiectio.

Responsio.

3

Vicesimū octauum.

Citās etiam illud ex Ecclesiaste, *Tempus pariendi, tempus moriendi, tempus plantandi, tempus*

tempus vellendi quod plantatum est : Peperimus, inquit, *in lege cum Mose, moriamur in Euangelio cum Christo : plantauimus in nuptiis, euellamus per pudicitiam quod plantatum est.* Quid hoc autē ei est, obsecro? Quis enim ignorat de rerum omniū vicissitudine Sapientem differere? Quid hoc ad nuptias aut virginitatem? Certe si tempus est aliquod pariendi, tempus quoque est vxorem amplectendi. Promissionem autem multiplicandæ posteritatis ad ea tempora restringere quæ aduentum Christi præcesserunt, quid tandem nos cogit? *Tempus*, inquit Apostolus, *cōtractum est.* Fateor. ideóque de cælesti potiùs quàm de terrena domo ædificanda cogitandum. Sed an ideo bene facit quisquis vxorem non ducit? Apostolum autem illic non in genere de huius vitæ breuitate vel de temporum quæ Domini aduentum præcesserunt discrimine differere, sed peculiariter notare proximè tunc imminentes Ecclesiæ tempestates, cóque demum respectu hortari vt quicunque possunt de cœlibatu potiùs (vt trāquilliore vitæ genere) quàm de coniugio cogitent, mecum, vt spero, fatebitur quisquis totum illum locum attentè considerarit. Sic non dicit absolutè Dominus, *Væ prægnantibus & lactantibus*, sed addit *in die-*

Responsa. 2 3

Mat.24.19 Iere.6.2. *bus illis.* Sic præcipitur Ieremiæ ne vxorem capiat, sed additur, *in loco isto.* & causa exprimitur, quoniam videlicet vltima vastitas à Domino imminebat. qui Ieremiæ locus optimè explicat Apostoli sententiã. Quod autem addit Hieronymus ex eodem scriptore, *Tempus amplectendi, & tempus longè fieri ab amplexu,* annon disertè cõtra ipsum facit? Nam certè nullum tempus est agendi quod malum est.

4

Vicesimũ nonum. Responsio. Multa postea ex Canticis Canticorum profert idem Hieronymus, sed ita sanè vt imprudens præuaricari videatur. Cur enim illic spiritualis coniugij tot laudes decantantur sub castarum quidem, sed tamen carnis nuptiarum typo, si bonæ istæ non sunt?

Tricesimũ. Esa.7.14. Vbi verò ad Esaiam ventum est, explicans aduersus Iudæos, & rectè quidem locum illum nobilem, *Ecce virgo concipiet. Si non præfertur,* inquit, *nuptiis virginitas, cur Spiritus sanctus maritatam, cur viduam non*

Respõsio 1. *elegit?* Imò verò, mi Hieronyme, ne virgo quidẽ Deo placuit, nisi quia fuit κεχαριτωμένη, id est, gratis dilecta, quod ipsamet diuinitus cecinit, non suam virginitatem, sed Dei misericordiam prædicans. Gratias igitur agant Deo, tum virgines tum nuptę.

2 Cur autem ex virgine potius illibata quàm

vel

vel ex coniugata vel ex vidua nasci Dominus voluerit, non ea tantùm causa est quòd quàm purissimum vas ille sibi delegit qui est ipsamet puritas, sed etiam præcipuè vt Filium quidem hominis, id est hominem, sed diuinitus prorsus & conceptum & natum esse citra omnem controuersiam constaret.

Quum autem idem Hieronymus ista eiusdem Prophetę verba, *Spreuit te virgo, filia Sion*, cum illis comparat, *Exulta sterilis quæ non paris*, rursum torquet vtrunque Prophetę locum. Nam illic quidem Sion orbę & destitutę puellę comparatur per Σαρκασμὸν, quòd rex Assur eam vsque adeò contempsisset, quem postea hęc ipsa esset irrisura: hîc verò florentē Ecclesię ex Gentibus potissimùm collectę statū describit Propheta, quę quidē Gētes sunt Sionis populus nō secundùm carnem, sed secundùm libertatem spiritus genitus, & in naturalem filiorum locum per fidē insitus, quam interpretationē docet nos ad Galatas scribens Apostolus. Quorsum autem hęc ad id de quo agimus? Quis enim sic nuptias laudauit vnquam, vt illis acceptū ferret quòd filij Dei simus, quanuis benedicat Deus tum sanctis ipsis tum etiam sanctorum semini, pro bona sua voluntate?

Tricesimū primum. Isa. 37. 22. 54. Responsio. Gal. 4. 27.

Tricesimũ secundum. Iere.2.32. Idem nihilo rectiùs istis Ieremię verbis, *Nunquid obliuiscetur sponsa ornamenti sui, aut virgo fasciæ pectoralis sui?* ad virginitatem coniugio prę-

Respõsio 1. ferendam abutitur. Primùm enim videmus hîc non minùs fieri

2 sponsę quàm virginis mentionem. Deinde quis ignorat populum illic à Propheta redargui, quòd Deum suum minoris fecerit, quàm sponsę aut virgines ornameta sua? Quorsum autẽ hoc ad nuptias vel damnandas vel virginitati postponendas?

Tricesimũ tertium. Respõsio 1. Ier.cap.16. Ieremiæ, inquit Hieronymus, *ideo parcitur in vrbis vastatione, quoniam virginitatis erat beatitudini destinatus.* Quid si verò negem Ieremiam fuisse virginem? potest enim aliquis in vtero sanctificari, nec tamen continentię donum habere. At enim prohibetur vxorem ducere & liberos tollere,

2 Fateor id quidem. Sed quid si cœlebs tum erat? Sed demus quod affirmat. Non fuisse tamen ideo seruatum ex ipso contextu liquet. Aliunde igitur petere oportuit virginitatis laudes, & meminisse hunc ipsum Prophetam passim ipsis quoque virginibus internecionem minari.

Tricesimũ quartum. Ezech.24.18 Ezechiel testatur sese vxore vesperi mortua, manè loquutum esse ad populum quę ipsi mandarat Dominus. *Diligenter attende*, inquit Hieronymus, *donec vxor viueret*,

ueret, non habebat libertatem populum commonendi. Moritur vxor, & coniugale vinculum soluitur, & absque vlla trepidatione semper est in officio prophetali. Qui enim liber vocatus est, verè est seruus Christi. At te potiùs miror, Hieronyme, sic in aduersario quoquo modo oppugnando fuisse occupatum, vt non attẽderes quum multo antè in munere prophetico perseueraſſet Ezechiel, consequi aliam ob causam hîc fieri vxoris mortuæ mẽtionem. Iussus enim fuerat non lugere, atque adeò populum à luctu auocare, quod se feciſſe dicit, etiamsi domi esset ipsi oblata iusti luctus occasio. Quorsum igitur ista? Respons.

Iam ad ea testimonia accedo quæ sic collegit ex Paulo Hieronymus, vt planè sit ἀναπολόγητος.

Numerat coniugium inter illa quorum finis sit mors, & quorum fructus erubescere nos oporteat. Quænam autem illa sunt? *Sicut*, inquit Apostolus, *exhibuistis membra uestra seruа impuritati & iniquitati ad patrandam iniquitatem, &c.* Et dubitamus diabolicam hanc doctrinam pronuntiare? Triceſimũ quintum. Rom. 6. 19. Respons.

Eôdem, id est ad conuitiandum nuptiis, detorquet illa, *Quum essemus in carne, & non in nouitate Spiritus, sed in vetustate literæ, faciebamus ea quæ carnis erant, & fructi-* Triceſimũ sextum.

Rom. 7.24 & 26. *ficabamus morti.* Et illa, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et illa, *Ipse igitur mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quòd si hæc de cõiugio dicuntur, Hieronyme, vt tu vis, quomodo virginem audes Paulum pronuntiare?

Responsio.

Triceſimũ ſeptimum. Rom. 8.5, & deinceps. Reſponſ. 1. Et illa, *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ ſunt carnis ſapiunt. Prudentia carnis, mors eſt. Prudentia carnis, inimicitia eſt in Deum. Qui in carne ſunt, Deo placere nõ poſſunt.* Hæc verò aduerſus coniugium torquere, quid eſt aliud quàm doctrinam dæmoniorum manifeſtè proponere? Et ne dubitemus hunc fuiſſe animum Hieronymi, & hãc ſentinam ex qua Syritius & Innocentius impuras & impias illas voces hauſerũt quæ nunc quoque tam multos inficiũt, hæc ipſa ſunt Hieronymi in hunc locũ verba, *Si prudẽtia carnis, inimicitia eſt in Deũ, & qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: arbitror eos qui ſeruiunt officio coniugali, quòd prudentiam carnis diligant, & in carne ſint.* At ego, Hieronyme, deteſtor hunc ſpiritum qui pronuntiat bonum, malum: & Gangrenſem Synodum arbitror rectè aduerſus hanc tuam ſententiam anathema protuliſſe.

2

Triceſimũ octauum. Rom. 12.2. Et illa quorſum, *Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & bene-*

beneplacens, & perfecta. In quæ verba scribens Hieronymus, *Concedit*, inquit, *nuptias, concedit digamiam, & si necesse fuerit, fornicationi & adulterio præfert etiam trigamiam. Sed nos qui corpora nostra exhibere debemus hostiam viuam, &c. non quid concedat Deus, sed quid velit consideremus, vt probemus quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Ergo quod cõcedit nec bonum, nec beneplacens est, nec perfectum.* Et mox, *Aliud est voluntas Dei, aliud indulgentia.* Quid hoc verò monstri est? quo igitur pudore sacerdotes nuptiis benedicunt? si cõcedit Deus mala, cur non impunè peccemus? Longè aliter & multo rectiùs Augustinus, non quidem in hunc locum (in quo de virginitate Apostolus nec γρᾶ quidem, verùm de sanctis tũ virginum tum maritorum moribus agit) sed in illud eiusdem Apostoli scribens, Ego autem vobis parco, *Sectatores*, inquit, *perpetuæ continentiæ admoneo vt suum bonum ita præferant nuptiis, ne malum iudicent nuptias, neque fallaciter sed planè veraciter ab Apostolo dictum nouerint, Qui dat nuptum, bene facit.*

Et illa, *Induimini Christum Iesum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.*

Et illa, *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad pudicitiam*, vbi Hieronymus, *Non ad sobrietatem*, inquit, *vt malè in-*

Respons. 1. 2

Augustin. de sancta virginitate, cap. 18.

Tricesimũ nonum. Rom. 13. 14

Rom. 12. 3

codicibus Latinis legitur. siquidem Græcè scriptum est, εἰς τὸ σωφρονεῖν. Quasi verò ipse contextus non manifestè conuincat τὸ σωφρονεῖν vel inutilibus studiis opponi, qualia nimiũ multa sunt quorum cognitione nullus euadit sanioris mentis, vel eorum arrogantiæ qui intra modum nolũt multis in rebus sapere, ideóque stultissimi tandem euadunt.

Respons.

Et illa, *Sicut carnalibus, sicut paruulis, lac vobis potum dedi, non escam.* Vbi rursum hic noster, *Qui animalis est, & non recipit quæ Spiritus Dei sunt, stultitia enim illi est, nec potest intelligere, quia spiritualiter diiudicatur, iste nõ perfecto castitatis cibo, sed rudi nuptiarum lacte nutritur.*

Quadragesimum. 1. Cor. 3 1.

Et illa, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem.* Vbi Hieronymus, parum sanè pudenter, *Hoc*, inquit, *tam clarum vt nulla expositione queat manifestius fieri: Si corruptio ad omnem coitum pertinet, incorruptio autem propriè castitatis est, præmia pudicitiæ nuptiæ possidere non possunt.* Imò, Hieronyme, vt tibi penitus constares, dicere te oportuit ingenuè nuptias non possessuras regnum Dei.

1. Cor. 15. 50.

Respons. 1.

2 Sed absit vt mendaci spiritui credamus. Illic verò quis ignorare possit Apostolum differere de corporum post resurrectionem qualitatibus, siue virgines siue mariti olim

olim fuerint qui tunc resurgent?

Et illa, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Opera legis*, inquit, *& nuptiæ sunt, quæ si conceduntur etiam in Euangelio, aliud est indulgẽtiam infirmitati tribuere, aliud virtutibus præmia polliceri.* Hoc est scilicet rem acu tangere. Imò verò quàm me tui pudet quum hæc lego, vir alioqui magne? Nam quid est quasi ex industria verbũ Dei peruertere, si hoc non est? Quadragesimum primum. Gal. 2.16. Responsio.

Item illa, *Sic insipientes estis vt quum cœperitis spiritu, nunc carne cõsummamini?* Et illa, *Spiritu ambulate, & desideria carnis ne perfeceritis. Caro concupiscit aduersus spiritum.* Vbi Hieronymus, *Nõ necesse est nunc*, inquit, *de operibus carnis dicere, quia longum est.* Imò, Hieronyme, vide ne meritò dicaris astutè ita prætermittere quo vel vno facilè conuinci poteras. Nec enim in operum carnis enumeratione nuptias inuenisses. Quadragesimum secundum. Gal. 3. Gal. 5.16. Respons.

Et illa, *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo, quod*, inquit, *si ad totam Ecclesiam credentium volueris referre, & in hac desponsione Christi & maritatas & digamos, & viduas, & virgines contineri, hoc quoque pro nobis facit. Nam dũ omnes ad pudicitiam & præmium virginitatis inuitat, ostendit cunctis gradibus virginitatem esse potiorem.* Sed annon saltem animaduertere Quadragesimum tertium. 1. Cor. 11. 2. Respons. 1.

te oportuit, Hieronyme, si de ista tua virginitate differeret Apostolus, ineptissimũ futurum fuisse illius desiderium? Nam certè virginitas corporis amissa nunquam restituitur, ac proinde nõ potuerunt vnquam pleræque ex Corinthiis eo genere virginitatis virgines, coram Deo sisti. Planius est autem quàm vt inficiari possis, Apostolum agere de tota Corinthiaca Ecclesia, & de spirituali Ecclesiæ cum Christo coniugio differentem (quod plenius descripsit alibi ad Rom. 7, & Ephes. 5.) per virginitatem nihil aliud intelligere quàm sanctificationem tum corporis tum spiritus, quæ tum virginibus, tum viduis, tum coniugatis & viris & mulieribus, credentibus denique omnibus communis est in Christo, vt diserte Augustinus annotat, lib. de bono viduitatis, cap. 10.

2

Quadragesimum quartum. Gal. 5. 24.

Et illa, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Item, *Qui cum Christo carnem nostram & passiones eius ac desideria crucifiximus, quid rursum ea quæ carnis sunt agere cupimus?*

Respons. 1.

Hoc verò aduersus coniugium torquere, annon est nuptias vt rem omnium pessimam & impurissimam damnare? Et quum toties fatearis non præcipi virginitatem, Hieronyme, quomodo tibi constabis? Nam certè

2

dubium

dubium non eſt quin contraria carnis concupiſcentiis præcipiantur. Imò annon eſt totius Legis Dei ἐπιτομὴ, ſecũdùm ſpiritum ambulare?

Et illa, *Qui ſeminat in carne ſua, de carne metet corruptionem*, vbi etiam hæc ſcribit: *Exiſtimo quòd qui vxorem habet, quandiu reuertitur ad idipſum* (ſic autem ſolet conuertere Græcum illud ἐπὶ τὸ αὐτὸ quo vtitur Apoſtolus mutuum caſti coniugij vſum honeſtè ſignificans) *ne tentet eum Satanas, in carne ſeminet, & non in ſpiritu. Qui autem in carne ſeminat; (non ego loquor, ſed Apoſtolus) metit corruptionem.* At ego miror, tantum virginitatis defenſorem tam obſcœna, & tantum Theologũ tam abſurda & tam falſa ſcribere potuiſſe. Certè vt cætera omittam quæ hîc in Hieronymum dici poterant, niſi hoc ipſius crimen aliæ multæ obtegerent virtutes, cuius fuit iudicij fateri (nec enim id negare poterat quod totidẽ verbis ſcripſit Apoſtolus) coniuges rurſum coniungi ne tentet eos Satan, & tamen eos dicere corruptionem metere, quoniam in carne ſeminent? Nam certè tota iſta carnis ſatio & corruptionis meſsis eſt à Satana. Itaque hoc ſanè non eſſet Satanam vitare, ſed in ipſius laqueos ſponte ſeſe induere, aut ſtultos imitari de quibus ille non ineptè, Dum

Quadrageſimum quintum.

Reſponſ. 1.

2

vitant ſtulti vitia, in contraria currunt. An non hoc eſt igitur Apoſtolicũ præceptum ludibrio habere?

Quadrageſimum ſextum. Epheſ.1.4. 1.Cor.7.14 1.Pet.3.6. Reſponſ.

Item illa, *Elegit nos Pater vt eſſemus ſancti & immaculati coram eo.* Sanè verò annon ſancti ſunt coniuges quorum ſanctos etiam eſſe liberos teſtatur Apoſtolus? Annon ſanctæ illæ vxores quas hoc nomine Petrus vel potiùs Spiritus ſanctus exornat, etiamſi alicubi non rectè illas imaginatur Hieronymus, vxores eſſe deſiiſſe, vt ſanctæ eſſe inciperent?

Hier. cõtra Heluid.

Quadrageſimum ſeptimum. Epheſ. 2.3. & 6.24.

Item illa, *Ambulauimus in concupiſcentiis carnis, & fuimus filii iræ vt cæteri. Nunc autem exuamus veterem hominem qui corrumpitur iuxta deſideria erroris, vt,* inquit, *nobis iſta Apoſtoli benedictio aptari poſſit, Gratia vobis cum omnibus qui diligunt Dominum in incorruptione.* Ergo tibi, Hieronyme, coniuges ſunt iræ filij, ſed redarguit te Spiritus ſanctus, ſiquidem ita ſedatus ſenſiſti vt iratus ſcripſiſti.

Reſponſ.

Quadrageſimum octauum. Phil.4.8.

Iſta verò cuiuſmodi ſunt, ſi modò quicquam illis quæ iam diximus deterius dici poteſt? *Quæcunque ſunt,* inquit Apoſtolus, σεμνὰ, *id eſt, venerada,* (Hieronymus vertit, pudica, vt & vetus interpres, ſed perperam) *quæcunque ἁγνὰ, id eſt pura* (vetus interpres legit ἅγια, *ſancta*, Hieronymus ſuperuacuo

peruacuo verborum ambitu, *ad castitatem pertinentia*) *hæc cogitate*, (Hieronymus, codice, vt opinor, non inspecto, *his copulemur, hæc sequamur*.) Ista verò quum vt aduersus coniugium dicta profert, quis pius illis assentiatur? Respons.

Quid quum ista eôdem detorquet? *Circuncisi sumus circuncisione non manufacta, in expoliationem corporis carnis?* Et illa, *Sapiamus quæ sursum sunt, & nõ quæ super terram?* Et illa, *Nemo militans Deo se implicat huius vitæ negotiis?* Et illa, *Abnegantes impietatem & secularia desideria, σωφρόνως, temperanter* (vetus interpres non malè *sobriè*: Hieronymus suo more, *castè*, quod ipsum tamen cõtra nos non facit) *& iustè & piè viuamus in hoc seculo?* Quadragesimum nonum. Col. 2. 11. & 3. 2. 2. Tim. 2. 4 Tit. 2. 12. Respons.

Quid amplius? Huc etiam pertrahit illud Domini dictum, *Adhuc multa vobis habeo dicere, sed non potestis ea portare modó.* Et torquens etiam illud Iacobi, *Omne perfectum donum de sursum descendit, vbi*, inquit, *non sunt nuptiæ, & descendit non à quolibet.* Certè, Hieronyme, nec illic comeditur vbi neque nubitur. Cur non igitur cibũ etiam & potum, & somnum, hanc denique mortalem vitam semel prohibes? Quinquagesimum. Ioan. 16. 12 Iacob. 1. 27 Respons.

Pergit tamen etiam longiùs, & ab hæreditate incorrupta cuius meminit Petrus, ar- Quinquagesimum primum.

Respons. cet coniuges. Sed bene est quod Lazarum nouimus in sinum Abrahami etiam digami collectum.

Quinquagesimum secundum. 1. Pet. 1. 15. & 22. Iubet nos idem Apostolus ex Mose, *sanctos esse*, id est, si Hieronymo credimus, à coniugio dehortatur, vt sancti simus. Sed quid si Moses ipse per quem hoc præcipiebatur coniugatus erat? Iubet nos etiam

Respons. 1. *castificare animas nostras.* Imò dicit Apostolus, *sanctos omnes iam esse purificatis animabus* (τὰς ψυχὰς ἡγνικότας,) & addit, ἐν ὑπακοῇ

2 ἀληθείας, *obediendo veritati.* An verò nullus audit veritatem nisi qui virginitatem vo-

3 uet? Subiicitur etiam, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, *ad fraternum amorem simulationis expertem*, quod miror ab eo præteritum esse qui nullos maritos fratres, nullas vxores sorores agnoscit, vt antea vidimus, nisi superuenerit cœlibatus votum. At nos credamus potiùs Spiritui sancto, vbique profitenti, fidem (quæ sanctos à mundo segregat, non autem virgines à coniugibus) eorum esse qui veritatem, id est, verum Dei verbum audiant, vnde tanquam ex fonte promanat vera fraterna dilectio, omnium Ecclesiæ membrorum communis tessera. Ideo etiam idem Apostolus consentiens

1. Pet. 1. 23. Ioanni addit, *nos non esse regenitos ex communi semine siue satione* (σπορᾶς quod inuidioso

dioſo vocabulo Hieronymus *coitum* maluit hîc interpretari) *ſed incorruptibili, verbo Dei videlicet manente in æternum.* Cuius ergo iudicij, cuius pudoris fuit iſta torquere aduerſus nuptias, quanuis aliud ſit ſecundùm naturam gigni, quàm ſecundùm gratiam regigni? Nam ſanè vtrunque filiis Dei tum virginibus tum coniugatis neceſſariò commune eſt.

Quinquageſimum tertium.

Iam verò quid contumelioſius dici in coniugium potuit, quàm quod citat ex eodem Apoſtolo quaſi nuptiarũ hoſte, quem tamen cõiugatum fuiſſe & vxorem circunduxiſſe Paulus teſtatur? *Qui paſſus eſt in carne,* inquit, *quieuit à peccato, vt nequaquam in deſideriis hominum, ſed in voluntate Dei, reliquum in carne tempus exigamus. Sufficit enim nobis præteritum tempus, quãdo ambulauimus in luxuriis & deſideriis, cæteriſque vitiis.* An hoc verò ſi in nuptias dictum eſt, nuptiæ non ſunt peccatum, & quidem cui neceſſarium ſit Chriſtianos omnes renuntiare? 1. Pet. 4. 1. Reſponſ.

Quinquageſimum quartum.

Idem in altera epiſtola teſtatur *grandia nobis & pretioſa promiſſa donata eſſe, vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ.* Quid enim eſt maius eo qui datus eſt nobis, & in quo promiſſa ſunt nobis quæ in cor hominis non aſcenderunt? Verùm ſi Hierony- 2. Pet. 1. 4. Reſponſ.

mo credimus, *grandia nobis virginitatis promissa donauit, vt per hanc efficiamur diuinæ consortes naturæ, fugientes eam quæ in mundo est cōcupiscentiam corruptionis*, id est nuptias. Coniuges enim & ij qui nuptias suadent, siquidem ipsi credimus, ij sunt *qui post carnem in desideriis pollutionis ambulāt, qui quasi irrationalia iumenta in ventrem & libidinem proni sunt*, in quos denique competunt horrenda illa quæ in perditissimos homines ibi ab Apostolo scribuntur, & quæcunque Ioannes profert vt nos à mundi dilectione auocet. Et hæc non est doctrina illa quam Paulus doctrinam dæmoniorum vocat?

2. Pet. 2. 10. & deinceps.

Quinquagesimum quintum. Apoc. 4. 14

Profert quoque Hieronymus *soles illos cantantes canticum nouum, qui non se coinquinauerunt cum mulieribus. Ac ne putaremus*, inquit, *de his dici qui scorta non norunt, statim intulit Ioannes, Virgines enim permanserunt.*

Respons.

Quasi verò de spirituali virginitate ibi non differat Ioannes, vt totus ille liber mysteriorum & visionum corporalium ad res cælestes significandas plenus est. Alioqui nos doceat Hieronymus quomodo thoro immaculato adhæreat coinquinatio.

Quinquagesimum sextum. Mat. 25. 11.

Huc quoque spectare decem illas virgines, quæ fidelium cœtum adumbrant, res ipsa clamat. Agè verò cur quinque fatuæ exclu-

excluduntur? *Quoniam*, inquit Hieronymus, *sola absque aliis operibus virginitas non seruat*. Ego verò malo assentiri Paulo clamanti nos iustificari ex fide absque operibus, quanuis sanè assentiar virginitatem nihil esse nisi reliquis fidei fructibus exornatam. Sed quod addit idem Hieronymus, *omnia opera absque virginitate esse imperfecta*, quum ab hac virginitate excludat cõiugatos, falsum esse dico, eo quidem sensu quo loquitur, quum alioqui ipsarum etiam continentissimarum virginum virginitatem cæteráque adeò opera plurimum à perfectione abesse credam. Respons. 2

Et hactenus quidem refutata sint Hieronymi aduersus Iouinianum argumenta. Nunc verò videamus quàm aptè illius argumentis responderit, ita quidem vt sunt ab eo annotata. Nam si Iouiniani liber ipse extaret, pleniùs ac fortassis etiam veriùs explicatã ipsius sentẽtiam haberemus.

Obiiciebat Iouinianus, & quidem rectè, primam matrimonii institutionem in paradiso, aduersus eos qui præpostera cœlibatus admiratione coniugio detrahebãt. Quid ad hoc Hieronymus? *In paradiso*, inquit, *ante offensam virgines, post peccatum autem & extra paradisum protinus nuptiæ*. Et mox, *Nuptiæ terram replent, virginitas pa-*

Exceptiones Hieronymi ad Iouiniani argumenta. Primũ Iouiniani argumẽtum. Exceptio Hieronymi.

Refutatio exceptionis Hyeronymi 1.

radisum. At ego dico, Hieronyme, In paradiso nuptiæ fuerunt ante offensam, & etiam audita iam tum vox est, Et erunt duo in carnem vnam, & illa benedictio, Crescite & multiplicamini. Est tamen, fateor, post peccatum demum soboles, quia vel ita dispo-fuerat Dominus vt nemo nisi per gratiam seruaretur, vel quia priùs amissum est bonum illud quàm tentatum, adeò breuis fuit prioris fœlicitatis vsura.

2 Nec istud sanè posterius per se verum est, quoniam coniugati quoque cælum replent, quum ipsa virginitas in sinu cõiugati Abrahami sit beata, quãuis nec virgines virginitas, nec coniugium coniugatos, sed vtrosque vna Dei gratia iustificatos seruet: & virgines quoque: etsi non vt sint virgines, ac certè vt sint, hoc nuptiis debent.

Secundum Iouiniani arg. 1 Cor 9. Exceptio Hieron. 1.

Obiiciebat Iouinianus illud Apostoli, Nunquid non habemus potestatem sorores mulieres vel vxores circunducendi, vt ostenderet etiam sacerdotum puritati probè conuenire cum matrimonio. Hieronymus verò etsi alibi aliquoties inculcat se non reprobare nuptias (quibus tamen audiuimus & porrò audiemus quales notas inurat) nouos hic fodit cuniculos quibus elabatur. Primùm enim negat probari posse alium præter Petrũ fuisse inter Apostolos

Refutatio 1.

coniu-

coniugatum. Atqui vt de Clemente & Ignatio ipſóque adeò Ambroſio taceam, nõ temerè Paulus addidit Cephæ & fratri Domini, cæteros etiam Apoſtolos. Sed hoc ſanè parum momenti habet, quia vel vnum Cepham Apoſtolum ſimul & maritum fuiſſe ſatis eſt, vt coniugium nihil officere ſacerdotij dignitati, nedum cuiuſuis fidelis munditici, probetur. Hoc tamen adiiciam, inter fratres Domini vel præcipuum recenſeri Iacobum quem vetuſtas vocat Epiſcopum Hieroſolymorum, quod ſi verum eſt (vt ſcribit etiam diſertè Græcus ſcholiaſtes) viderit Hieronymus quo iure perpetuũ eius cœlibatũ prædicet. Sed ad rem venio. Excipit ergo ſecundo loco Hieronymus, ſi habuiſſe ipſos vxores concedatur, *reliquiſſe tamen officium coniugale, quod etiam teſtatur Petrus ex Apoſtolorum perſona, quum ei reſpondens Dominus, meminerit quoque eorum qui vxorem propter regnũ Dei relinquunt: quod etiam oſtendat ſororum nomen, eas videlicet in ſpiritu fuiſſe germanas, non cõiuges.* Atqui dictũ illud Chriſti ſi hoc modo explicandum eſt, quid fiet fratribus, ſororibus, patri, matri, domibus quoque & agris? nẽpe Chriſtianus eſſe nõ poterit, niſi qui ſuo etiã erga illos officio fungi deſinet, quo quid abſurdius dici poſsit? *Relinquẽdi*

2

3

Exceptio 2.

Matth. 19. 29.

Refutatio. 1.

2 igitur verbum nõ eò ſpectat, quum diſertè & generaliter dixerit Apoſtolus Chriſtianis omnibus coniugibus, *Ne fraudate alius aliũ*, & Euangelium nõ euertat, imò potiùs ſtabiliat dilectionẽ proximi: ſed huc potiùs refertur vt Dei gloriam vnuſquiſque pro ſuæ vocationis ratione quibuſuis ſine exceptione rebus anteponat, nec ſit quicquam omnino quod noſtrum curſum abrumpat.

3 Nomen autem ſororis minimè ſanè abrogat coniugij copulam, quum è contrario Chriſtiana omnia coniugia inter fratres &

4 ſorores contrahantur. Deinde ſi ita eſſet, oportuit ſanè Apoſtolum ſcribere potiùs mulierem ſiue vxorem ſororem, quàm ſororem mulierem vel vxorem, quum mulieris ſiue vxoris nomen, ſi interpretationẽ iſtam ſequamur, latiùs pateat, ac proinde nõ præcedere, ſed ſequi omnino debuerit.

Exceptio 3. 2. Reg. 4. 10 Luc. 8. 3

Tertiò excipit nos etiam γυναῖκας poſſe mulieres, nõ autem vxores interpretari, *vt hoc videl. cet dictum ſit non de vxoribus, ſed de ſanctis aliis mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant.*

Refutat. 1.

Hanc verò interpretationem etſi ſequuntur veteres plerique tum Græci tum Latini, tamen rectè repudiat Clemẽs, quoniam, vt recte obſeruat eruditiſsimus ille vir Petrus Martyr, ſi ita eſſet, non fuiſſent iſtiuſ-

istiusmodi mulierum circunductione grauatæ, sed potiùs subleuatæ Ecclesiæ, ac proinde contra Paulũ hoc ipsum faceret, quod pro se adducit. Sed alteram etiam causam 2
adiicio, quia videlicet superuacaneum esset nomen γυναικός. Quorsum enim subiiceretur, quum omnis soror sit mulier? Dico igitur necessariò oportere sororem vxorem interpretari, quorum illud sit latius, istud angustius: & illud prius expressum fuisse ab Apostolo vt maior esset sentẽtiæ emphasis: additum autem istud posterius, quòd alioqui honestum nõ fuisset mulieres etiam fideles circũducere. Cæterùm quæ de Ioanne subiicit, *Ipsum videlicet quia virgo fuerit plus fuisse amatum, & quòd post resurrectionem solus virgo virginem agnouerit: quòd dicatur non moriturus, quia virginitas non moritur, nec sordes nuptiarum abluantur cruore martyrii, sed maneat cum Christo: denique propterea etiam fuisse non tantùm Apostolum vt Petrum, sed etiam Prophetam, & Euangelistam, & quidem aliis præstantiorem, quia exposuit virginitas, quòd nuptiæ scire nõ poterãt:* Exceptio 4.
ista, inquam, refutatione longiore non egent. Dilexit Ioannem peculiari quodam Refutatio.
affectu Dominus, pro sua misericordia: nec eius amoris causa in Ioanne, sed in ipso diligente quærenda est. Non, inquam, fuit

dilectus Ioannes præ cæteris quia virgo: sed ideo virgo quia dilectus ab eo qui dona sua distribuit vnicuique sicut vult. Agnoscit primus Dominum stantem in litore, scilicet quia virgo, ac non potiùs quia sic eius oculos direxit Dominus, qui ne præsens quidem ac lateri adhærens, à duobus discipulis agnosci facilè potuit, quòd eorum oculos teneret. Sordes autem nuptiarum vt & ipsius virginitatis per eum tolluntur qui tollit peccata mundi: quod hic ipse Ioannes apertè testatus est, ita scribens, Si dixerimus nos peccatum non habere, mendaces sumus. Itaque quòd diutius mansit siue superstes fuit in hac vita quàm reliqui, causa præcipua & germana fuit, Dei bonitas, Ecclesiam suam respicientis: deinde verò illa ipsa fides qua etiam interueniente translatus est Enoch, ne videret mortem. Denique quòd Petrum Hieronymus spoliat Euangelistæ & Prophetæ titulo, vt eius spoliis Ioannem vestiat, non rectè facit, quum ipsemet alibi referat Marcum ex ore Petri excepisse Euangelicam historiam, cuius proinde verus auctor fuerit Petrus, descriptor autẽ Marcus. Prophetiæ verò in altera Petri epistola quales & quàm veræ extent qui non sentit, sanè nihil sentit. Demus tamen hoc ita esse,

esse, prout varia sunt Dei dona, nec vna eorum mensura, quorsum hæc vt sordescant nuptiæ?

Obiiciebat etiam Iouinianus ad dignitatem coniugij asserendam, locum illum Pauli, Salua tamen fiet per filiorum generationem. Tertiũ Iouiniani argumẽtum.

Respondet Hieronymus quæ nunc nolo copiosiùs persequi, quoniam fortasis nec ille quid obiiceret, nec iste (quod sine iniuria dictum sit) quid de re ipsa responderet satis expendit. Sed quod inter cætera permiscuit, sanè non possum prætermittere. Addit Apostolus eo loco, ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης, id est si manserint in fide, in charitate, & in sanctificatione & pudicitia. *Non enim* (inquit Hieronymus) *sobrietas est legenda, vt malè habetur in Latinis codicibus, sed castitas, id est* σωφροσύνη. Ego verò miror an potuerit Hieronymus existimare, nullum inuentum iri Græcæ linguæ, vel penè rudem, qui quid esset σωφροσύνη non intelligeret, ac proinde non facilè agnosceret quò ipsum abripuerit istius contentionis æstus. Dicit Lucas dæmoniacum illum quem inuaserat dæmonum legio, postea repertum σωφρονοῦντα ad pedes Iesu. Paulus apud eundem, quum Festus eum vt furentem argueret, Non insanio, inquit, sed verba eloquor

Exceptio Hieronymi.

Refut. 1.

Luc. 8. 35.

Act. 26. 25.

σωφροσύνης. An hæc quoque Hieronymus vo culam istã adeò studiosè arripiens, ad suum cœlibatum transtulerit? Imò ne longiùs abeamus, quum eâdem epistola & eodem capite Apostolus iubet vxores sese exornare internis dotibus quæ sanctas matronas deceant, pudore videlicet & σωφροσύνῃ, quis non videt modestiam eo nomine significari? Est autem varia eius vocis declaratio, quum in genere temperantiam declaret, sed tamen latiùs etiam pateat, adeò vt omnem mentis sanitatem quæ sese intra modum cõtineat significet. Itaque & temperantiam, & modestiam, & sobrietatem, & sanam mentem, interdum interpretari oportet, prout requirit loci circunstantia. Agè tamen dicamus Pudicitiæ nomen hîc optimè conuenire, de quo sanè nolim contendere, quum vel præcipua sit mulierum virtus: an ideo cœlibatus pręcipietur? nẽpe si nullæ sunt vxores pudicæ: qua de re saltẽ autem audiatur castus ille poeta rusticum patremfamiliâs, cõiugem quidem cúmque multorum liberorũ patrem, sed vrbis sordium expertem sic quoque describens, *Interea pendent dulces circum oscula nati, Casta pudicitiam seruat domus.*

2 Sed longè deterius est quod subiicitur, *Tunc ergo*, inquit, *saluabitur mulier si illos genue-*

genuerit filios qui virgines permansuri sunt, si quod ipsa perdidit, acquirat in liberis. Egregiè profectò, quasi matris salus à filiorum moribus pendeat, nisi siquid ipsa fortasis in educatione peccauit: quasi etiam mater nubens & coniugium sanctè colens, aliquam noxam contraxerit à qua in filiis absoluatur: quasi salua res sit, si liberos genuerit cœlibes, aut fortasis etiam monachos futuros: quasi denique in matribus situm sit continentiæ donum quod filiis largiantur. Denique quorsum hæc? Nam certè verbũ μείναωσιν quo vtitur Apostolus, non potest commodè ad τέκνα referri, quod nomen non præcesserit nisi in compositione verbi τεκνογονεῖν, sed ad ipsas vxores pertinet. Neque nos mouere debet numeri mutatio, quum de mulieribus vxoribus in genere, non autem de certa quapiam differat Apostolus. Refut. 2 3 4 5

Quærebat Iouinianus quæ sit futura diuersitas inter viduam & virginem baptisatas, quæ sic permanserint. Respondet Hieronymus eadem ratione scorta & prostibula si fuerint baptisata, virginibus æquari. Ego, quæstionem hanc miror dignam censuisse tantos viros, de qua vsque adeò contenderent vt in apertas etiam matrimonij cõtumelias ruerent. Sed hoc dico non con- Quintũ Iouiniani argumẽtum. Exceptio Hieronymi. Refut.

sequi quod concludit Hieronymus. An e-
2 nim pares sunt vidua & meretrix? Sed hoc etiam dico, quanuis multo laudabilior sit quæ integrè quàm quæ flagitiosè etiam ante baptismum vixerit, neutram tamen habere de quo in sese glorietur, istam verò cui plura remissa sunt, eo ampliorem causam habere in Domino gloriandi: sed ab iis potiùs quæ baptismi gratiam cõsequuntur hanc diuersitatem esse petendam. Itaque si ista meliores in sua viduitate, quàm illa in sua virginitate fructus ediderit, viduam nõ dubitarim virgini anteponere. Quid viduã? imò & publicam in vrbe peccatricem, si modò quia plus illi condonatũ est, ampliùs
3 etiam dilexerit. Addam & istud: Des mihi, Hieronyme, vel continentissimam virginem baptisatam, sed superbam, maledicam, auaram: dem tibi contrà prostitutæ antea pudicitiæ meretricem vel ipsa Laide corruptiorem, sed iam pœnitentem, & siue in coniugio siue extra coniugium maximis plurimisque virtutibus exornatam, audebisne tu ipse illam virginem cum hac mutata peccatrice comparare?

Quintum. Obiiciebat, & quidem perappositè, Iouinianus aduersus coniugij tãquam rei im-
1. Tim. 3. 2. puræ hostes, Apostolicum illud, *Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum.* Hieronymus

nymus autem triplicem exceptionem regerit, *Sicut*, inquit, *in disputatione de virginitate & matrimonio Apostolus suadet quod imperare non audet, ne videatur laqueum iniicere, ita & in Ecclesiastico ordine constituendo, quia rudis ex Gentibus constituebatur Ecclesia, leuiora nuper credentibus dat præcepta, ne territi ferre nō possent. Denique Apostoli mittunt vt non amplius imponatur oneris iis qui ex Gentibus crediderunt, nisi vt se abstineant ab idololatria, fornicatione, sanguine & suffocatis, & quasi paruulis & infantibus lac potiū dant, non solidum cibum: nec præcipiunt de continentia, nec de virginitate significant, nec ad ieiunia prouocāt, nec dicunt illud, Ne habeant duas tunicas, &c.* In hac porrò exceptione, Deus bone, quis agnoscat Hieronymi acre illud iudicium, & eruditionem minimè vulgarem? Primùm enim tātùm abest vt in illa designādi episcopi descriptione quippiam mediocre proponat Apostolus sicut rudibus discipulis solent magistri, vt cōtrà proposuerit perfectissimum pastoris exēplar, quale nullius oratoris apud Rhetores inuenias. Sed quoniam nescio qua penè fatali cœlibatus persuasione fascinatus Hieronymus, virginitatem pro omnium virtutum quadam, vt ita loquar, ἐπιτομῇ ducebat, idcirco nulla summarum illarum virtutum

Exceptio Hieronymi 1. — Act. 15. 28. — Luc. 9. 3. — Refutat. 1.

habita ratione quas in pastore Apostolus requirit, perperam sanè de re tota iudica-
2 uit. Deinde quod de illo Apostolorum rescripto profert quàm appositè dicitur? Etsi enim habita est Gentium ratio quum Circuncisionis onus illis non imponeretur, tamen hoc idcirco propriè factum non est vt earum infirmitati consuleretur, sed quoniam, vt in ipsa Synodo Petrus ostendit, iniquum fuisset atque adeò Domini voluntati repugnans, ceremoniarum iugum iis imponere qui semper fuerant eius expertes. Et quod additur de sanguine & suffocato non arguit Gentium ruditatem, sed Iudæorum, quibus vnis hoc tribuitur, quum Gentes multò essent in Christo adultiores, cõ-
3 trà quàm opinatus est Hieronymus. Denique sicut nulla fuit in Paulo infirmitas, sed in Iudæis, quòd Timotheum circuncidit, Græca videlicet matre natum (nunquam id alioqui facturus) ita istud Apostolicum interdictum Iudæis datum est non Genti-
4 bus. Sed & illud quo iudicio scripsit Hieronymus de præcepto continentiæ, quod cibum solidum vocat? Nam si ita est, certè nulli vnquam solidus cibus est subministratus. Nam coniugij præceptum lego saltem propter fornicationem, virginitatis autem præceptum nusquam, nusquam, inquam,

quam, in sacris literis inuenio, sed suasionem duntaxat: & quidem addita multiplici restrictione, nempe propter instantem necessitatem, vt vitetur solitudo nos à melioribus auocans, denique siquis quod velit hoc possit, siue siquis non vratur. Nec dicit Apostolus se hæc ita scribere quòd vereatur ne virginitati pares esse non possint Corinthij, sed contrà, quòd eis parcat, ne videlicet si ad eam quæ imminebat tempestatem accederet coniugij pondus, penitus obruerentur. Nec etiam dicit se hortari duntaxat ad id quod expedire censebat, ne videretur eis laqueum iniicere, sed ne ipsis iniiceret laqueum. Postremò, quum Hieronymus verba illa Christi, *Ne possidete duas tunicas*, accipit pro solido cibo, omnibus, nisi infirmitas prohibeat, cõueniente, multis modis aberrat à Christi scopo. Primùm enim solis Apostolis hoc semel dictum est, idque peculiari certè de causa, nempe vt plenam experientiam facerent summæ potentiæ præceptoris, à quo postea suo tempore mittendi erant in vniuersum terrarũ orbem. Et quæso quando hoc illis mandatum est? tum certè quum prorsus adhuc rudes erant, & lacte indigebant, nedum vt hic fuerit solidus ille cibus. Quòd si quis roget, cur igitur onus

adeò difficile tam infirmis impoſuerit, quũ præſertim illos iam confirmatos in orbem terrarum mittens, eadem illa non repetierit: reſpondeo longè facilius fuiſſe mandatum illud, quanuis prima fronte longè aſperrimum videatur. Nam (vt de præceptoris præſentia taceam quæ vnica tum illos fulciebat, vt paſsim apparet) longè aliud fuit apud ſuos gentiles obire breuis temporis legationem, quàm ad vniuerſum orbem expugnandum mitti. aliud quoque mitti viatico quidem vacuos, ſed breui ad præceptorem reuerſuros, addita promiſſione fore vt nihil tamẽ ipſis deeſſet, quàm dicere, Ecce ego mitto vos vt oues in medio luporum. Itaque tum roganti Domino reſpondent nihil ſibi defuiſſe: poſtea verò ſæpe defuerunt eis multa, quanuis nunquam, vt ait Apoſtolus, fuerint à Deo deſtituti. Alterã exceptionem mutuatur Hieronymus à tẽporis ſui conſuetudine. *Nam*, inquit, *fatetur Iouinianus nõ poſſe Epiſcopum eſſe, qui in epiſcopatu filios faciat. alioqui ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur: ſed quaſi adulter tenebitur. Oportet ergo Epiſcopũ eſſe vnius vxoris virum. id eſt, qui vnam vxorem habuerit, non habeat.* Atqui manifeſta etiam eſt iſta cauillatio. Neque enim ſcripſit Apoſtolus γεγονέναι fuiſſe, ſed ἔναι eſſe: quan-

Mat. 10. 16
Luc. 22. 35.
2. Cor. 4 8.
Exceptio Hieronymi altera.
Refut. 1.

quanquam in eo sanè assentior Hieronymo & Chrysostomo, non esse hæc Apostoli verba sic accipienda quasi nullus nisi vnius vxoris vir sit ad ministerij munus deligendus. Quod autem ad illum morem attinet nullum episcopum maritum deligendi nisi qui vxoris vsui renuntiaret: fateor vetustum quidem fuisse, sed Romæ duntaxat præcisè seruatum, vbi constat vixisse & docuisse Iouinianum. Verùm quid ad nos si Romana Ecclesia iam tum pietatis prætextu mysterium iniquitatis moliens, laqueum iniicere voluit imperitorum conscientiæ? Tyrannicam autem ac planè Satanicã fuisse istam legem cœlibatus, non tantùm illud ostendit quòd manifestè repugnat Apostolicæ doctrinæ, sed etiam quòd à Nicena Synodo clarè & expressè redarguatur: vnde etiam factum vt à sexta synodo OEcumenica ob eam causam Romana Ecclesia dissertè, quod ad presbyteros quidem & diaconos, fuerit reprehensa, præsentibus nec repugnantibus Agathonis Papæ Romani τυποτυρήτας, qua de re alibi pleniùs differemus. Vrget tamen Hieronymus in eandem sententiã, σώφρονος, & ἀγνότητος nomina quibus ibidem vtitur Apostolus. Sed iam ostẽdimus ista maritis quoque fidelibus quadrare. Conatur tamen præterea Hierony-

Exceptio tertia Hieronymi. 1.Cor.7.5. mus istum morem sic excusare. *Si laicus*, inquit, *& quicunque fidelis, orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati: & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem procreare.* Hæc verò si sic haberent, quis tãdem nuberet in Domino? Sed de quibus precibus agat Apostolus, abundè dictum est à nobis. Quod autem citat ex lege, nusquam extat neque quod ad coniugalis coitus immunditiem, neque quod ad vxorum separationem attinet, vt sæpe mirari subierit ab Ambrosio quoque id dici, & Augustinum in eo qui nusquam est expediendo nodo tantopere laborare. Longè itaque rectiùs Chrysostomus, *Quomodo*, inquit, *honorabiles sunt nuptiæ, si nos tantopere impediunt?* Et mox, *Si qui impediti sunt ex nuptiis, sciant quòd non nuptiæ illis impedimento fuerunt, sed voluntas quæ male vtitur nuptiis. Nam neque vinum facit ebrietatem, sed mala voluntas, & moderationis excessus. Vtere cum moderatione nuptiis, & PRIMVS ERIS IN REGNO, & omnibus fruêris bonis.* Denique

Refut.1. 2 3

Ambro. in 1.ad Timo cap.4. Augustinus quæst. in Leuit. 62. & Retract.lib.2. ca.5 Chrysosto. in epist.ad Heb.ho.7.

nique opponamus sibiipsi Hieronymũ longè rectius alibi de Episcopis cõiugatis scribentem. *Quæritur quid sit*, inquit, *in ordinando Episcopo, non quid fuerit. quare verò solùm uxoris nomen impediat, quòd solùm peccatum non fuit?* Neque verò, inquiet fortasse quispiam, dixit vsquam Hieronymus, nuptias esse peccatum. Respondeo vt totidem verbis id non dixerit, imò quoties libuit, hæreticorum esse testetur nuptias damnare: eum tamen satis ex ore suo conuinci. Quid enim est aliud peccatum quàm quod malũ est? quàm quod non nisi ex venia licet? cuius denique tanta est immunditia, vt ei vacare & Christiani officium implere, imò ne precari quidem possis? Sed hoc ex iis quæ mox subiiciam magis etiam liquebit.

Hieron. Oceano. tom. 2.

Obiectio.

Responsio.

Quærebat quoque Iouinianus, Si omnes fuerint virgines, quomodo stabit genus humanum? Hîc verò miris modis Hieronymus tergiuersatur, nec tamen elabi potest. *Quid si*, inquit, *omnes fuerint viduæ, vel in matrimonio continentes?* Respondebit Iouinianus ne hoc quidem fieri oportere, & tu nodum non expedieris, Hieronyme. Iterũ excipit Hieronymus, *Vereris ne si virginitatem plures appetierint, cessent lupæ, cessent adulteræ, ne infantes in vrbibus & villis nõ vagiant.* Facis verò mihi iniuriã, Hieronyme,

Sextũ Iouiniani argumentũ.

Exceptio Hieronymi. 1.

Refutatio.

Exceptio 2.

Refutatio. 1.

potuit optimo iure regerere Iouinianus, qui ſtupra & adulteria fugiẽda ſuadeo cum Apoſtolo quum nuptias ſuadeo. Imò hoc
2 vereor potiùs, ne manente iſta Tyrannica cœlibatus lege, eueniat quod Paphnutius iam olim Synodo Nicenæ prædixit,& euẽtu iam cœpit confirmari,id eſt, vt pro legitimis vxoribus,omnia concubinis, ſcortis, turpiſsimis denique libidinibus conſpurcentur, quia eò deuenire tandem oportet
3 qui remedium oblatum aſpernantur. Vereor & illud, ne ſi perſuaſeris quod tu dicis contra Dei verbum, malum eſſe nimirum mulierẽ tangere, per te non ſtet quominus nulli ex ſanctorum connubio propagentur.

Septimũ. Iouiniani argumentatoribus aut adulteris,nec contra continẽ

Dicebat etiam Iouinianus,non pro ſcor tiam,ſed contra iſtos qui virginitatis admiratione nuptias non verbo quidem,ſed reipſa damnabant, alij quidẽ in omnibus ſimpliciter, (vt ex ſuperioribus Hieronymi argumẽtis liquet,& multo magis ex iis quæ ſequũtur cõſtabit) alij verò in Clero dũtaxat, tanquã ſacerdotij puritas matrimonio contaminetur:dicebat,inquã,aduerſusiſtos Iouinianus, *Cur igitur creata ſunt genitalia, & ſic à Conditore ſapientiſſimo fabricati ſumus, vt mutuum noſtri patiamur ardorem, & geſtiamus*

gestiamus in naturalem copulam? Hieronymus respondet, sed tamen titubans, ad alios etiam vsus eas partes esse conditas. Hoc verò nihil ad rem. Loquimur enim de alio vsu qui negari non potest. *Nunquam ergo cessemus*, inquit, *à libidine, ne huiusmodi membra frustrà portemus. Cur enim maritus se abstineat ab vxore? Cur casta vidua perseueret, si ad hoc tantùm nati sumus, vt pecudum more viuamus? aut quid mihi nocebit si cũ vxore mea alius concubuerit? Quorsum eunuchos propter regnum Dei commendat Dominus? Cur Paulus imò Dominus ipse has etiã partes habuit?* Pudet enim me Hieronymi verba omnia huc adscribere. Atqui hoc quidẽ nõ est respondere, sed calũniari. Scortatio certè & adulterium cõtra hominis ratione præditi, nedum contra Christiani & regeniti hominis naturam est. Loquitur autem Iouinianus de recto illarum partium vsu: & hoc dicit, Hieronyme, vel non sapienter fabricatos fuisse homines, & accusandum in ipsa natura humana opificem: vel fatendum esse in naturam & naturæ architectum peccare qui ab illarum partium vsu legitimo tanquam à re non nisi ex comparatione deterioris mali bona, homines auocent: qui denique omnes quantum in se est cuperẽt esse cœlibes, & Apostoli verba,

Exceptio Hieron. 1.

Refutatio.

Exceptio 2.

Refutatio.

Velim omnes esse sicut meipsum, eò detorquent. Tuum verò fuit non tergiuersari neque absurda ista opponere, sed solidas rationes opponere, vel sententiam mutare.

2 Quæris cur igitur laudentur qui seipsos castrarunt propter regnum Dei? quasi verò Domino non liceat quos ad rectum vsum formauit, ad alium etiam præstantiorẽ traducere: & quasi non sint maxima laude digni qui hac etiam in parte seipsos abnegãt. Sed hoc sanè iis demum conuenit quibus datum est, & quandiu datum est. Manet interea communis ordo naturæ sic Dei opificis decreto confirmatus, vt quicunque illum voluerit, quocunque id obtentu fiat,

3 rescindere, tãdem sese διομαχεῖν magno suo malo experiatur. Eâdem autẽ ratione concidit quod de Paulo ipsóque adeò Domino nostro certè non admodum παρθενικῶς eodem loco scribit Hieronymus.

Octauũ Iouiniani argumentũ.

Denique quũ Iouinianus obiiceret Dominum præsentia sua nuptias honorasse, duo respondet Hieronymus, quem tamen oportuit simpliciter assentiri, si nuptias esse πιόνους vere cum Apostolo sentiebat. Primùm igitur inquit hîc quoque Iudaicam cõsuetudinem obseruasse Dominum, sicut & idem circunciſus est, ne Iudæis iustam causam se interficiendi tribuere videretur,

Exceptio Hieronymi 1.

quasi

quasi verò vel nuptiæ sint ex legalium ce- Refut.1.
remoniarum iam abolitarum numero, ac nõ in ipso paradiso, perpetuo & inuiolabili naturæ fœdere sancitæ: quarum dignitatem imminuit quidem corruptio superueniens, non autem sustulit. Deinde ponamus 2
ad nuptias inuitatum Dominum venire recusasse. quis eum propterea damnare natùram vel vt legis transgressorem mortis reũ censuisset? Imò (quod iam toties Hieronymum feciſſe ostendimus) quum quicquid in 3
carnis opera scriptum est aduersus nuptias torqueret, & quum argumẽtum illud Iouiniani, Si omnes virgines fuerint, quomodo stabit humanum genus, oppugnaret, hoc sanè fuit naturam damnare. Denique vnde 4
causam istam desumpsit Hieronymus, legis à Domino impletæ? Longè enim aliter hac de re sensit Apostolus, scribẽs ideo factum Gal.4.4.
sub lege vt eos qui sub lege erant redimeret: Oportuit enim ab eo iustitiam omnem impleri, qui factus est nobis à Deo Patre iustitia. Secundò respõdet qui semel venit Exceptio Hieronymi altera.
ad nuptias, semel docuisse esse nubendum. Ergo, Hieronyme, primas saltem nuptias Refut.2.
non esse malas iam tandem cõfiteris, quum minimè fueris vnquam dicturus, Christum docuisse vel semel vel sæpius esse malè agendum. *Neque ego verò*, inquit, *coniugium*

damno, quod est hæreticorum. Verùm quis hic pudor est, postquàm omnibus conuitiis & probris coniugium affeceris, negare te nuptiis detraxisse, & vno verbulo tot maculas
2 abstergi posse arbitrari? Postremò annon illum meminisse saltem oportuit, quum inceptũ & elumbe hoc argumentũ ex Tertulliano repeteret, quid in eum tot antè annis durissimè scripsisset, nempe hominem Ecclesiæ non fuisse?

De cœlibatus & virginitatis præstantia quid ex Dei verbo sentiendũ.

Sed fortasse rogabit quispiam quid igitur hac de re mihi videatur. Respondeo, quod ad huius vitæ tranquillius transigendæ cõmoditatem & rationem attinet, cœlibatum in iis quidem qui non vruntur, meritò nunc (id est post ingressum peccati in mundum) anteponi coniugio, duabus præsertim de causis. Cœlebs enim liber est à plurimis maximisque rei domesticæ curis, ac proinde ad præstantiora sine distractione meditanda multo est accommodatior: quas ob causas, accedẽte etiam tertia, nempe tẽporum vel præsentium vel imminentium asperitate, pronuntiat Apostolus meliùs facere, & beatiores, id est, meliore cõditione esse cœlibes quàm maritos. Sin verò de futuræ vitæ præmiis quæritur, primùm illud dico, nullum neque virginibus neque cõiugatis præmiũ deberi, ac proinde Chri-

Christianos istam quæstionem non admodum decere, vt qui potiùs de eo laborent, quomodo sint Domino suo placituri, quàm quid ab eo mercedis inutiles serui sint accepturi. Et certè fuit hæc insignis versutia Satanæ, vt magnos alioqui viros in mercedis potiùs quàm in laboris meditatione occuparet. Scripturam verò quum satis constet nihil de istius generis cõtrouersiis statuere, sed iubere potiùs vt quæ praua sunt fugientes, & quæ recta sunt sequentes, vocationis nostræ cursum siue coniuges siue virgines alacriter obeamus de corona nostra securi, quorsum ista, quæso, digladiatio? Cur non enim æquè diues Ecclesia, bonis & sanctis coniugibus, atque virginibus abũdans? & à quo spiritu profectæ sint istæ contentiones, annon exitus ipse satis demonstrat? Sed agè, vt hoc quærere licuerit fœlici illo, vtinam non imaginario, seculo, in quo de virtutum præstantia certamen erat, quorsum hæc ad illos qui legis cœlibatus prætextu, teste Deo & Angelis, ipsisq; adeò diabolis, penè opinor, cohorrescentibus, orbem terrarum in Sodomam & Gomorrham transformarunt? Nullus certè, ne istorum quidem, ignorat eò rem rediisse vt mũdus hodie vniuersus nihil sit aliud quàm spurcissimum lupanar. Et nos scilicet car-

nis libertatem prædicamus, qui nemini iniiciendum virginitatis perpetuæ laqueum, & vnicuique continentiæ donum non habenti accipiendam vxorem quîcum sanctè & publicè viuat, cum Apostolo docemus. Sed ad rem. Si pro modò, quanuis non pro merito certaminis, donabitur brabium, vtcunque admirer in sanctis continentibus singulare & angelicum potiùs quàm humanum Dei donum: non possum tamen vicissim non prædicare eorum fortitudinem qui coniugij pondus sic perferunt vt non succumbant. Commune enim est, quanuis non æquale, certamen cum incontinentia, tum virginibus tum coniugibus. Coniuges verò quàm varias & multiplices obire pugnas necesse est, quas penitus cœlibes ignorant? Denique quod sæpe iam dixi, apertè iterum dico, neque virginitatem neque coniugium in earum rerum numero censeri oportere quæ per se sint expetibiles, vel in quibus per se positũ sit regnum Dei: sed quatenus vel ad illam vel ad istud vocatus est quispiam, & sua vocatione bene vtitur ad Dei gloriam & proximi ædificationem, coronari tum cœlibes tum maritos prout certarunt. Itaque totum illud de centesimo siue sexagesimo virginum & de tricesimo viduarum fructu, exclusis coniugibus

Mat. 13. 8.

gibus (quorum tamen vberrimos fructus iampridem carpit & carpet ad extremum vsque Domini aduentum Ecclesia,) vt inane & absurdum somnium repudio : quum nihil ibi tale cõmemoret Dominus neque de vitæ æternæ vel pari vel impari præmio, sed de verbi Dei in præsenti vita efficacitate differat. Et de Hieronymo quidem hactenus.

Ne quis autem me calumnietur nõ tam asserendæ veritatis quàm nouandarum rerum, aut iam receptæ nouationis, vt nonnulli loquuntur, defendendæ studio, non in istam Hieronymi reprehensionem incidisse, sed vltrò eam quæsiuisse : præterquàm quòd cõscientiæ meæ testem Deum ipsum appello, spero æquos omnes lectores re ipsa facilè quæ mihi mens fuerit æstimaturos. Apologiam porrò ipsius Hieronymi cur attingere noluerim si quis rogabit, sciat duabus de causis id à me non esse factum, quia videlicet quũ nihil mihi quidem proferre videatur quod pro iusta excusatione accipi possit, illi tamen omnino parcẽdum potiùs quàm alteram in eum parãdam refutationem putaui.

Argumẽta aliorũ pro cœlibatu Cleric. ex Dei verbo scripto.

Ista verò quæ nunc subiicio, diuersa quidem sunt à superioribus, sed partim ex eodem auctore, partim ex aliis scriptoribus

petita, ad quæ ſigillatim etiam reſpondendum putauimus. Nam illa repetere quæ ex Hieronymo deprõpta recentiores, ac præſertim blaſphemi pontifices Syritius & Innocentius primus, ex malis deteriora fecerunt, ſuperuacuus labor fuiſſet.

Argumentum primum. Reſponſ. 1. Proferunt exẽpla quorundam à condito mundo ad Chriſti aduentum qui cœlibes vixerunt. Atqui non quæritur an cœlibatus ſit vitæ genus Deo probatum, (quis enim hoc negat, modò ad rectum finem referatur?) ſed an ſit Verbi miniſtris neceſſarium, & ita quidem vt votũ præcat ordinationi.

2 Itaque abſurdè iſta citantur, vt interim taceam pauciſsimos illos fuiſſe, nec omnes ex Prophetarũ aut ſacerdotum numero. Imò ipſi inficiari nõ poſſunt ſub lege ſacerdotes ipſúmque adeò Pontif. Maximum ac Leuitas fuiſſe coniugatos. Obiectio. Sed excipiunt id neceſsitate factum, quod ex ſola tribu Leui deligerentur ſacerdotes, quorum alioqui genus intercidiſſet, quæ ratio nunc nõ obtinet. Reſponſ. Ego verò ita id oportuiſſe ob eam etiam cauſam fieri concedo: ſed hanc ſolam fuiſſe coniugij ſacerdotum cauſam fortiter nego, verùm hanc potiùs, quò etiam reſpexit Apoſtolus, quum diceret, Propter ſcortationem autem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. Fuerũt enim & illi homines: neque pecu-

peculiarem continentiæ promissionem à Deo habuerunt.

Citant Legem Domini, vbi immundus pronuntiatur à quo manat semen cubilis, (sic enim habẽt Hebræa) quod ipsi de quouis coitu interpretantur, adeò quidem vt Augustinus in hoc nodo expediendo plurimùm laborarit. Sed mirum est illos non animaduertisse quod ex epitheto non temerè adiuncto liquet, nempe Mosen initio capitis illius 15. agere de gonorrhæa quam vocant, postea verò de feminis per quietem inuoluntario fluxu differere, vt ipse quoque Caietanus agnoscit. Quis igitur pudor, imò quæ insciția fuit hoc torquere adũersus cubile nuptiarum impollutum? Deinde illud quoque animaduertere debuerunt, legalem & externam dũtaxat fuisse istam pollutionem vt & alias multas, ac proinde nullum nunc ei locum relinqui, nisi cætera etiam legalia velint in vsum reuocare. Postremò non tantùm ad sacerdotes, sed ad quosuis etiam ex populo lex ista pertinebat. Vbi autem comperient prohibitos maritos à templi aditu & vllis sacrificiis quoties vxores suas attigissent? Non est igitur quòd veterum hac in re consuetudo nobis opponatur, de qua tamen Hieronymus, *Ipsorum* (inquit) *conscientiam conuenio*

Argumentum secundum. Leuit. 15. 16.

Augustin. quæst. in Leuitic. quæst. 82. & lib. retract. 2. cap. 55. Respons. 1.

2

3

Hieron. in apolog. ad Pamachiũ

qui eodem die post coitum communicant, quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, domi non licet. Chrysostomus autem duriùs etiam loquitur, & quidem, quod mirum est, lectum nuptiarum incontaminatum esse professus. *Quo die*, inquit, *liberis legitimè operam dedisti, quamuis illud crimen non sit, orare tamen non audes.* quod tamen quum ad solas preces publicas pertineat, viderit Hieronymus, quo iure illud ad priuatas etiam trahat, errorem suum ita excusans vt etiam duplicet, quum in Apologia repetit absurdissimum illud argumentum: *Si semper orandum est, nunquam ergo coniugio seruiendum:* & huc etiam manifestè torquet illud Petri, *Ne impediantur orationes nostræ.* Cæterùm illa consuetudo, etsi ex eo manauit quòd quàm religiosissimè cupiebant accipi tantæ rei sacramenta (quod studium non potest non magnopere laudari) tamen quum in nuptiarum opere statuat peccatum quod à Christi communione arceat, atque adeò ab Ecclesiæ corpore nos auellat, manifesta fuit superstitio, præter Dei verbum inuecta: quamuis editi sint Canones postea quibus non modò confirmaretur, sed etiam plurimum

Chrysost. hom. 52. in Matth.

auge-

augeretur. Itaque mirum non est ex eo errore qui per speciem religionis irrepserat, maiorem etiam abusum exortum, nempe vt quibus religio erat ad templum accedere, religio non esset domi cœnam priuatam facere, id est, sacra mysteria manifestè prophanare, si Paulo credimus. quod tamen satis ex eodem illo Hieronymi loco apparet fuisse Romæ præcipuè factitatum, quòd tum illic quotidie corpus Domini accipere consueuissent, quum tamen Iustini ætate diebus tantùm Dominicis synaxis celebraretur. Ex eodem fonte, id est, ex illo Leuitici loco perperam expositio, profluxit & illud argumentum ab Ambrosio expressum, & ab aliis postea inculcatum, *semper ministris continendum, quia semper orandum & iugiter sacrificandum*, cui noua refutatione non est opus. Sed execrabiles sunt profectò Syritij & Innocentij voces, quum istud tam falsum & Dei verbo repugnans argumentum sic cupidè arripuerunt vt aduersus coniugium quicquid in turpissima lupanaria dici potest euomuerint, arbitrati nimirum domum Domini pulcherrimè repurgatum iri, si coniuges à regno Dei, quantum in se est, exclusissent. Syritij autem in primis pudenda etiam est inscitia, & incredibilis audacia, quum an-

Iustin. apolog. 2.

nuas sacerdotum vices fuisse scribit, quibus ipsos ab vxoribus seiunctos fuisse commiscitur.

Tertiũ argumẽtum. Ausus etiam est furiosus ille Smytheus reponere rancidum illud pro sacerdotum cœlibatu argumentum, quòd videlicet iuberẽtur Israelitæ accinctis renibus agnum Paschæ edere: quo ritu (inquit) significata

Responsio. est castitas. Respondet doctissimus P. Martyr, præterquàm quòd totum hoc allegoricum est, aliam causam huius ritus ab ipso Mose exprimi: & tamen vt castitatem ita significatã fuisse demus, pertinere quoque castitatem ad cæteros, atque adeò ad vniuersum populum: ac proinde si valeret hoc argumentum, excludendum fuisse ab his conuiuiis totum Israelem.

Quartũ argumẽtum. Ex nouo Testamento citant Mariæ virginis votum. Neque verò ignoramus quid

Responsio. veteres ea de re senserint & scripserint. Verùm vnde tandem votum istud eliciunt? De perpetua selectissimæ illius virginis virginitate non ago, quam minimè sanè inficior, quum ante partum quidem virginem fuisse & ex Esaiæ prædictione & ex Matthæi narratione certissimè constet, post partum verò à Iosepho fuisse cognitam neque vsquam legamus, nec sane sit probabile. Eius ergo purissimam virginitatem minimè

in

in dubium voco, sed de voto quæro, vnde tandem colligi posit: quia non modò nulla eius rei mentio apud Matthæum, sed etiam contrarium manifestè colligi potest ex eo quòd esset viro desponsa. Quorsum enim desponsatio, si verè nubere non instituerat? Nec rursus inficior Dei prouidentia ita fuisse factum, sed aliud tamen ipsius Mariæ consilium fuisse dico, quum præsertim, vt ex eius perculsione apparet, minimè in mentem ei venisset quod postea nuntiauit Angelus. At enim (dices) cur igitur excipit se virum non cognoscere? Nempe, vt etiam idem D. Martyr egregiè obseruauit, cogitans virgo quid tandem sibi vellet tam inexpectata & sibi adhuc virgini minimè conueniens salutatio, modestè & prudenter de rei futuræ modo & ratione quærit. Nam si vsitata futura erat conceptio, differendus saltem videbatur nuntius quoad vsque marito esset coniuncta. Sin verò potiùs, quod ex Angeli verbis proculdubiò colligebat, extra ordinem id futurum esset, cupiebat & illud, quantum virgineus pudor patiebatur, edoceri: subuerita nimirū ne alioqui de fama ac de vita etiam periclitaretur, si grauida necdum nupta deprehenderetur. Quorsum autem hæc ad votum? Postea verò vouisse virginitatem vnde colligemus, quanuis illibatam ex consensu Io-

sephi, custodis potiùs quàm mariti, permãsisse vltrò concedam? Postremò quorsum hæc ad Clerum voto perpetui cœlibatus constringendum?

Legem cœlibatus nõ esse ex traditione Apostolica scripta.

Euersò porrò legis Cœlibatus fundamẽto præcipuo, quum quæcunque ex verbo Dei scripto nonnulli proferunt, partim absurdè citent, partim etiam manifestè nec sine blasphemia torqueant: necessarium est vt à verbo Dei depulsi aliunde subsidium petant qui Cleri cœlibatum adeò pertinaciter defendunt. Hinc enim efficitur (quod etiam Thomas & saniores Scholastici tuẽtur (vel à traditione Apostolica non scripta, vel à iure Ecclesiastico quod vocant, promanasse, aut si neutrum etiam istorum verum est, manifestè damnandam esse Legem quæ à Deo nullo modo profecta doceatur.

Argumentũ primũ. Obiect. 1. Respõsio.

Traditionem autẽ Apostolicam scriptã esse quî tandem probabunt, quum in scriptis Apostolicis nusquam extet? Canonas enim illos ita vocatos, pro Apostolicis habere isti non possunt, quin à Papa Gelasio dissentiant, ac proinde Catholici esse desinant: siquidem, vt ipsi arbitrantur, eadem est illa Romana sedes quæ & Ecclesia Catholica. Clementis verò διαταγὰς quis tandem nisi summè impudens vt Apostolicas

Obiect. 2.

tueri

tueri posſit? Nos tamen & istas & illos suo loco fauente Deo, expendemus, ac ne istis quidem fauere ostendemus. Respõsio.

Superest igitur vt traditio ista sit ἄγραφος. Sed quî potuit vel sine scriptis tradi, vel etiam tolerari ab Apostolis quod non modò non extat in eorum libris (quibus tamẽ affirmo complexos fuisse quicquid saltem directè conscientiam respicit) sed etiam illorũ scriptis ex diametro repugnat? Quid enim attinet tergiuersari? Imperari coniugiũ iis saltẽ qui vruntur non est quòd quisquam nisi præfractus inficiari posſit. Sed audio quid excipiant. Contendunt ex veteribus etiam plerique hoc non pertinere ad eos qui continentiam vouerint. Atqui vitiosissimum esse hoc argumenti genus ne pueri quidem ipsi in scholis ignorant, quum illud ipsum de quo quæritur, ad alterius probationem assumitur, quod petitionem principij vocant. Hoc igitur nobis imprimis demonstretur, votum perpetuæ continentiæ, aut præcepto aliquo, aut exemplo ex sacris literis petito niti: deinde ab eis qui ad munus aliquod Ecclesiasticum vocabantur id genus voti flagitatũ fuisse: ac tertio demum loco nobis ostendant cur Paulus hac ipsa de re ex professo rogatus à Corinthiis, ne γρῦ quidem istius Legẽ cœlibatus nõ esse ex Apostolica traditione. ἀχάφω. Obiect.

distinctionis meminetit. Quum enim adeò grauiter istorum iudicio peccent qui votum istiusmodi violant, quî tandem fieri potuit vt eius exceptionis nullo modo meminerit Apostolus? Quid quòd nusquam virginitatem ne suadet quidem, nisi addita ratione, qua vel cessante vel alterius validioris interuentu impedita, nullus ei suasioni locus relinquitur? Quid quòd tam expressè testatur se nolle cuiquam laqueum

Obiect. 2. iniicere? Neque nos verò, inquiunt isti, cuiquam laqueum iniicimus, quum ad vouen-

Respõsio. dum nemo cogatur. Egregium sanè respõsum, quod mirum est Apostolo in mentem non venisse: perinde ac si quis nullum quidem obtorto collo ad suspendium trahat, sed pendentes ex trabe laqueos ostentans ac etiam ad illos inuitans, quicunque ceruicem inserere vltrò voluerint non modò non eripiat huic periculo, sed etiam extricare se volentes pro viribus impediat. Ac ne quis duriorem esse istam similitudinem arbitretur, sciat me discedere ab Apostoli vestigiis noluisse, qui non continẽtiam quidem ipsam, (absit enim hoc à nobis) sed seruandæ continentiæ legem *Laqueum* vocauit. Quid quòd tam multis idẽ Apostolus Diaconi & Episcopi dotes describens, non modò non requirit perpe-

tuam

petuam istam continentiam, sed etiam vnius vxoris virum admittit? Nam quòd nõnulli non vxores sed sorores potius fuisse volunt, à quibus videlicet ex voto abstinerent, ne refutatione quidem indigere vel ex historiæ Nicenæ Synodo liquidò perspicitur. Sed de his etiam plenius differemus, vbi de matrimoniis ipso iure nullis agetur. Hæc autem est huius argumẽti summa, quantumuis Apostolicã esse hanc traditionem asserant veteres nonnulli, ac præsertim Epiphanius, tamen id ne verisimile quidem esse, quoniam alioqui à seipsis Apostolos dissensisse consequeretur.

Epiphan. contra Apostolicos.

Iam verò si interdictum istud ab Apostolis neque in sacras tabulas est relatum, nec voce traditum, quid supereſt nisi vt sit Ecclesiastici siue positiui iuris quod vocãt? Et sanè huc adacti confugiunt Scholastici omnes quibus aliquid est iudicij, tum quoniam quæ ex verbo Dei proferuntur vident manifestissimè torqueri, tum quòd alioqui sanctissimi sui Papæ dispensationes tueri non possent. Nos verò quale sit ius istud non Apostolicum & tamen Ecclesiasticum, agè dispiciamus.

Legi cœlibatus non rectè prætexi ius ecclesiasticũ siue positiuum.

Hoc igitur omnes æquos iudices mihi concessuros arbitror, ratas esse non posse leges nisi ab eo profectas cui condendarũ

Argumẽtũ primum.

legum sit potestas. Hanc ergo auctoritatẽ cuiquam vnquam mortalium à Deo fuisse attributam vt leges conscientiis ferret, ostendant nobis istarum legum Ecclesiasticarum defensores. sin minus, mirari desinant nos istiusmodi iugum recusare. Mosen audio leges etiam huiusmodi ferẽtem, sed quas ex ore & manibus Domini acceperat, quibus addere quicquam aut detrahere, ne tum quidem cuiquam mortali fas esset, quum Deus adhuc πολυμερῶς καὶ πολυμόρφως loquebatur. Dauidem & Solomonem audio in structura templi quædã præter tabernaculi dimensiones ædificasse, sed illum quidem Prophetam, istum verò patris monitis obtemperantem. Leges autem de sacerdotum & Leuitarum vicibus præterquàm quòd ex eodem Spiritu manarunt, ad ordinem propiè non autem ad conscientiam aut ipsum Dei cultum referuntur. Hominum mandata licet eorum proculbubiò qui sacra tractabant, audio tamen disertè à Domino inania pronuntiari. *Quæ dicunt, facite*, inquit Christus: sed præcedit conditio, quum videlicet sederint super cathedram Mosis. Nam alioqui iubet idem Dominus caueri Pharisæorum fermẽtum. Audio habendũ vt Ethnicum & Publicanum qui non audierit Ecclesiam.

Obiect. 1. cũ responsione.

2

3

4

5

cleſiam. Sed eundem Chriſtum audio Phariſæorum ablutiones reiicere, earundem traditiones coarguere, totius denique ſynagogæ proſcriptionem nihil omnino curare. ex quibus intelligitur aliud eſſe Eccleſiam quæ ſpõſi ſui vocem audiat, aliud ſpecioſam laruam quæ Eccleſiæ ſpeciem mentita, gubernandæ familiæ leges nõ accipiat ſed ferat. Audio ſolutum & ligatum in cælis quicquid ſoluitur aut ligatur in terris, ſed ita vt ſoluendi & ligandi leges à Domino accipiant fidi myſteriorum Dei diſpenſatores nõ ex ſua, ſed ex heri ſui voluntate. 6
Audio & Apoſtolum teſtantem Epheſiis, 7
ſeſe illis omne conſilium Dei, nempe quod ad ſalutem noſtram, & Dei cultum attinet, expoſuiſſe. Idem ſcribit, *Dico ego non Dominus*, ſed vt Spiritum Dei habens, & vt Apoſtolus. 8
Et hic nimirum locus eſt quem nobis obiicient aduerſarij, vt qui ſe quoque Spiritum Dei habere iactent, nimirum ad Eccleſiæ gubernacula collocati tanquam Apoſtolorum ſucceſſores. Ego verò mallem ipſos doctrinam quàm ſedem Apoſtolicam demonſtrare, ne Caiaphæ ſint ſimiles, qui ex Aaronis cathedra Filium Dei vt blaſphemum damnauit. Deinde etiamſi idem docerent atque Apoſtoli, affirmo tamen ipſos videri non poſſe ſucceſſores A-

Obiect. 2.

Reſponſ. 1.

2

postolorum, sed, vt plurimum ipsis largiar, eorum duntaxat qui ab Apostolis constituti sunt per singulas Ecclesias. Neque verò istud discrimen parui est momenti. Quũ enim Apostolis onus impositũ esset plantandi Ecclesias per vniuersum orbem terrarum, non dubium est quin præ cæteris & authoritatem peculiarem ordinãdi Ecclesias, & explicandæ diuinæ voluntatis cum maxima Spiritus efficacitate habuerint. Iis verò qui ab Apostolis per singulas Ecclesias constituti fuerũt, nihil aliud curandum fuit quàm vt Apostolicæ tũ doctrinæ tum disciplinæ custodes essent: quod suo iam seculo quum à nonnullis non satis diligenter obseruari Paulus experiretur, queritur non deesse qui fœnum & stipulam extruerent, atque adeò anathemati deuouet quicunque aliud Euangelium præter id quod ipse
3 prædicarat annuntiarent. In summa igitur vt Dominus per Apostolos aliquas etiam conscietiis leges posuerit, negamus tamen hoc ius in quenquam postea translatum, quoniam plene & integrè munere sibi cõmisso defuncti sunt Apostoli, vt nihil eiusmodi faciẽdum posteris reliquerint. Deinde quum iubeamur probare spiritus, quod obsecro experimentum ostenderint isti loquentis in ipsis Christi? Nam vt cætera
4 omittam

omittam quæ hac de re pluribus dici possent, annon aliquid præter Euangeliũ Pauli facit, qui quod ille facere nec voluit nec debuit, cœlibatus laqueum omnibus pastoribus, presbyteris & diaconis imponũt: & ita quidem vt coniugatum esse & in carne esse ac proinde Deo non placere, vnum & idem esse affirment? Ex hoc autem illud effectum volo, ius istud non esse Ecclesiasticum appellandum, quum Ecclesia extructa sit supra fundamentum à Prophetis & Apostolis positum, sed hanc ipsam esse dæmoniorum doctrinam: quod euẽtus etiam ipse ostendit.

Non tamen, inquiunt, damnamus nuptias, vt Tatianus & alij. Cedò igitur quod inter vos & illos aliud discrimen, quàm quòd illi in omnibus, vos in certis duntaxat personis nuptias damnatis? At non vt impuras, inquiunt, quum illas etiam inter sacramenta numeremus, & palàm eis benedicamus. Mirum sanè hominum genus. Cur ergo Hieronymum, Syritium, Innocentium apertè aduersus matrimonium torquentes quicquid in sacris Literis aduersus quæuis scelera dicitur, non hoc nomine repudiatis? Quòd si seriò adnumeratis matrimonium rebus omnium purissimis, id est sacramentis, quî fit, obsecro,

Obiect. 9.
Respons. 1.
2

vt ei cum ordinibus sacris, alio videlicet, vt vultis, sacramento, tam malè conueniat, vt scortatorem, adulterum, potiùs quàm maritum quantumuis honestum & pudicum, sitis ad ordinationem admissuri? Quem enim vnquam à vobis ordinandum rogastis, an virgo esset? imò quem tandem in tota vestra hierarchia auderetis bona conscientia iurare aut etiam præsumere virginem, ac proinde nec scortatorem esse nec adulterum, ne quid turpius dicam?

Secundum argumentum.

Sed & illud quæro, sitne habendum ius illud Ecclesiasticum, quod Nicenæ Synodi decreta manifestissimè conuellit. In his enim disertè ex verbo Dei & doctrina Apostolica pronuntiatur impollutum esse episcoporum etiam & aliorum in sacris ordinibus constitutorum congressum cum vxoribus ante ordinationem ductis. Cur igitur pro Ecclesia habebimus eorum cœtus qui contrarium postea censuerunt? At non tamen, inquiunt, constituit Nicena Synodus licere, mortuis vxoribus quas iam habentes ordinati fuerint, alias postea ducere. De hoc verò postea viderimus. Nunc illud satis est demonstrasse, coniugio cum sacris ordinibus optimè conuenire ex Nicenæ quoque Synodi decreto: quam isti catho-

Obiect. 1.

Respons.

catholici scilicet pro sacra & inuiolabili ducunt, quos non pudet pronuntiare eos in carne esse, nec Deo placere posse qui matrimonio vtantur. Operæpretium est autem intelligere quid etiam hac in parte prætexant. Fuit, inquiunt, illis Apostolorum temporibus Ecclesia ex Gentibus & Iudæis collecta. Illis ne scortari quidem flagitium erat: istis cœlibatus erat etiam inuisus & vsitata polygamia. Quid mirum est igitur, inquiunt, maritos etiam fuisse ad sacra ministeria admissos in tanta cœlibum penuria? Hoc autem incommodum quum nunc cessarit, meritò aliter Ecclesiæ visum est. Ego verò fateor, boni viri, eam tum fuisse temporum rationem. Sed non nisi propter cœlibum penuriam toleratos fuisse ad tempus maritos, vnde tandem colligitis? Imò si sacerdotij dignitati tantoperè repugnat coniugium, vt necessarium sit cœlibatus vinculum, qua conscientia tolerare illud potuerunt Apostoli, ídque ne vocula quidem emissa, ex qua intelligeretur aliter posteris faciẽdum, quoniam quod tum facerent, temporibus dare cogerentur? Imò si ita res se habebant, annon præstabat Paulum totum illud, *Vnius vxoris virum*, omittere? Nam illud, *Velim vos omnes esse vt meipsum*, ad totam sanè

Obiect. 2.

Respons. 1.

2

Obiect.3. Corinthiacam Ecclesiam dirigitur. Ergo,
Respons.1. inquient isti, multo magis ad Clerum. Ita verò esto, quid inde conficietis? Hoc videlicet Paulum optasse, quod & ipsi optaremus, nempe vt quotquot in ministerio Ecclesiæ sunt, donum continentiæ haberent sicut habuit Paulus: & cœlibes esse possent vt fuit Paulus, & quidem ob eas demum causas quas ibi Paulus recensет, non ob illas quas postea commenti estis. Hoc, inquam, & ipsi vellemus. Sed quis hoc præstabit? quod quum ita se habeat, cur potiùs dicitis, *Qui vult capere, capiet*, quàm cum
2 Christo ipso, *Qui potest capere, capiat*? & cur laqueum audetis torquere, quem ne collo quidem cuiusquam iniicere ausus est Apostolus, nedum vt cuiusquam strangulandi
3 exemplum vobis præbuerit? Illa porrò eiusdem sententia, *Melius est nubere quàm vri*, annon etiam est vniuersalis & indefinita? Cur non ergo & ista multo magis ad Clerum pertinebit, etiam si aliter Epiphanius, & alij post cum sentiunt? Sicut enim cœlibatus commodis eget Clerus præcipuè, (quod erat superioris argumenti fundamentum) ita etiam nulli sibi magis ab vstione cauere tenentur quàm quorum maximè periculosus est lapsus.

Tertiũ argumẽtum. Quid quod pronuntians Apostolus honoratas

noratas esse nuptias & cubile impollutum, ἐν πᾶσι *in omnibus*, omnem sanè exceptionem omnib⁹ præcidit? Hoc enim si ad personas referas (quod omnino faciendum videtur) videtis neminem prorsus excipi, in quo non sit honestum coniugium si eo sibi vtendum censuerit: adeò vt si Paulus etiam aliorum Apostolorum exemplo, vxorem duxisset (duxisset autem proculdubiò si iudicasset expedire, & nisi cõtinentiæ donum habuisset) nihil turpe vel Christi Apostolo indignum fuerit facturus. Sin verò id mauultis neutro genere accipere, & *per omnia* interpretari, quo tãdem spiritu gubernantur qui ab eo quod per omnia purum fuerit, sacerdotes necessariò etiam perpetuóquo voto prohibendos sanciunt? an quòd non omnia quantumuis alioqui licita quosuis deceãt? Cur ergo *vnius vxoris viros* admittit nominatim Apostolus?

Quartũ ar gumẽtum.

Sed & hunc nodum velim mihi ab istis castissimis votariis expediri. Cœlebs fuit Paulus. an verò ex voto? minimè profectó. Mentitus enim esset quum sibi quoque & Barnabæ diceret potestatem fuisse vxorem sororem circunducendi. Ita enim omnino locum explicandum esse suprà ostendimus. At cur non ex voto? Certè quoniam quum satis intelligeret Continen-

tiæ donum ex eorum genere non esse quæ vel quibusuis vel semper & in perpetuum Dominus largiretur, homo alioqui de misericordia Dei certissimus, tamẽ ne sibiipsi quidem laqueum iniicere voluit.

Obiectio. Gratianus 26. quæst. 1. in principio, §. hinc. & 35. q. 1. ad fin. Sexta Synodus, can. 12. Responsi. 1. Epiphan. contra Apostol. & Catharos.

Ventum est igitur à nonnullis ad aliam quandam rationem, quòd videlicet Apostoli inchoarint duntaxat ædificium quod postea suis ornamentis oportuerit decorari: inter quæ vel præcipuo loco numeranda sit virginitas. At ego sanè miror potuisse quenquam vnquam somniare puriorem vel ornatiorem vnquam fuisse Ecclesiam quàm Apostolorum temporibus. Quis enim adeò cæcus est vt non videat, quis adeò præfractus vt non agnoscat (siue doctrinæ puritatem, siue Ecclesiæ formam & ordinem, siue pastorum præstantiam, siue auditorum virtutes consideremus,) aurea tum verè secula fuisse præ iis quæ statim consequuta sunt? Itaque hoc ego confidenter dico, vix vllos magis Ecclesiæ nocuisse quàm illos ipsos Episcopos, qui ea tum doctrina tum Ecclesiæ forma vt quàm simplicissima sic etiam quàm optima non contenti, quam Apostoli tum scriptis tum ipso vsu constituerant, non de retinenda illa natiua pulchritudine, sed de fuco potiùs & calamistris ineptè laborarunt, eóque

rem

rem adduxerunt vt virgineum tandem Ecclesiæ vultum, in meretricium habitum planè transformarint. Rectè igitur Augustinus, citante etiam Espensæo, hac ipsa de re differens, *Nec eos*, inquit, *audiamus, qui viduas si nupserint, tanquam adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam se prædicant esse mundiores: qui si vellent nomen suum agnoscere, mundanos se potiùs quàm mundos vocarent, qui viduas suas vri cogunt, quas nubere non permittunt, Paulo qui maulit eas nubere quàm vri, non habendi prudẽtiores.* Ac de viduis quidem suo loco dicemus. Quod autem de viduis dicitur, cur non & in virginibus locum habeat? Nisi fortasse in illis quidem prudẽtiores Apostolos, in his verò imprudentiores arbitrabimur. Quòd si quis excipiat Augustinum de virginitatem aut viduitatem professis nõ agere, verum fortasse dixerit, sed quid inde effecerit? An enim vouendo obtineri potest continentiæ donum, ac non potiùs stultè vouet qui continentiæ donum antea non habet? Et vnde hæc quoque vouendi ratio profecta est, nisi ab iis qui sibi visi sunt Apostolis prudentiores? 2. August. de agone Christiano. cap. 31. Obiectio. Responsio. 2

Denique illud nobis respõdeant velim, vnde tandem ius istud Ecclesiasticum cœperit. Neque enim adhuc ea de re inter Quintũ argumẽtum

Veteribus primisynodis votũ cœlibatus incognitũ fuisse.

ipsos liquet. Imò tanta est hac in re & inter Canonas & inter veteres Patres discrepantia, vt nullus adhuc sit repertus qui eos inter se posset conciliare: quod quàm paucissimis fieri poterit demonstrabimus, lectore ad Espensæi farraginem reiecto, vbi planè inueniet, φάρμακῳ πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Nos præcipua tantùm carpemus.

De Canonibus Apost.

Primùm igitur quod ad Canonas Apostolicos, siue διατάξεις à nescio quo Clemẽte collectas, & Græcè nuper editas attinet, quum inter apocrypha meritò numerẽtur, non est quòd moremur quicquid inde proferri potest. Hoc tamen constat, illic inhiberi omnino in sacris ordinibus constitutis ne religionis obtentu vxores suas eiiciant. quod (vt ab aliis etiam est obseruatum) frustrà deprauare conatus est Gratianus, nihil aliud intelligẽs hìc præcipi quàm ne alendarum vxorum curam abiiciant. Neque verò libro διαταγῶν sexto, cap. 17, statuitur vt

Can. Apostol. 5.

Distin. 28. can. si quis docuerit, & dist. 31. post canonem quicunque.

voueant continentiam, aut etiam ab vxorum congressu abstineant Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, sed duntaxat vt illa mortua, aliam ducere non possint, de quo interdicto alibi dicemus.

De Ancyrana Synodo. Ancy. syn. can. 10.

Ex Ancyrana Synodo particulari quæ aliquot annis Nicenam vniuersalem præcesit,

cesit, liquet rogatos fuisse saltem Diaconos cœlibes ecquid ea conditione vellent hoc munus obire vt vxores postea nõ ducerent, quod tamen etiamsi non promisissent, nihilominus ab Episcopo admitti poterant: & eis integrum erat postea vxores ducere. Sin verò vel silentio vel expressis verbis id polliciti, posteà, quòd continere non possent, matrimonium contraherent, expungebantur ex Diaconorum numero. Hæc porrò ordinatio etsi patefecit iam tũ nescio quid labis aspersum fuisse Apostolicæ doctrinæ puritati, quum nihil tale neque Apostoli Hierosolymis commemorent quum primos Diaconos eligunt, (inter quos Nicolaum saltem & Philippum coniugatos fuisse constat) neque Paulus præcipiat vbi de Diaconis agit: tamẽ si quis quæ tum fuerit Ecclesiarum conditio, & quid ibi cõstituatur, propius inspiciat, magna æquitate niti comperiet quod illic decernitur: quod qui non considerant, ideóque Canonas tanquam vniuersales quasdã regulas esse arbitrantur, multa perperam explicãt, nec possunt tamẽ sese ex iis quos vltrò sibi nectunt nodis, vlla ratione extricare. Inops adhuc erat Ecclesia vixdum ex illis assiduis persequutionibus emergens. grauissimũ erat hoc onus, quũ deligendus

esset Diaconus aliquis, simul grauari Ecclesiam magnæ alicuius familiæ pondere. Quanuis enim, vt ex aliis locis apparet, priuatæ facultates cũ Ecclesiasticis non permiscebãtur, tamen id non poterat tã commodè caueri quin Ecclesia damnũ insigne acciperet, vel ob hanc vnam causam quòd domesticæ familiæ simul & tam laborioso muneri satisfacere esset perdifficile. Nõ dubiũ est igitur quin optima ratione dederint operam patres illi, vt cœlibes si fieri posset (modò & ipsi idonei essent) deligerentur: quòd si qui non occurrerent, saltẽ à deligẽdis nondum maritis flagitandum censuerint, ecquid se sperarẽt vxoribus deinceps carere posse. Hoc autem omne factũ fuisse ex æquo & bono, & absque vlla conscientiarum tyrannide, vel illud ostendit quòd licuit vnicuique quod sentiebat ingenuè respondere, nec propterea quisquam vt diaconatu indignus reiiciebatur. Quòd si quis sibi temerè promisisse compertus esset quod postea præstare diutius non posset, neque matrimonium dirimebatur tanquam contra voti alicuius obligationem initum (nulla enim ἀγὼς, id est voti, sed ἐπαγγελίας, id est spontaneæ promissionis ibi fit mẽtio, quod Latini interpretes professionem sunt interpretati) neque communione

nione Ecclesiæ eiiciebatur, neq; inter scor tatores pœnitentes tum stare iubebatur: sed duntaxat, quanuis non sine aliqua leuitatis macula, alteri locum cedebat. Quorsum hoc autem ad istam diabolicam voti tyrannidem? quorsum ad perfectius nescio quod Ecclesiæ Christianæ ornamentum? quorsum ad matrimonij contumeliam vt rei cuiuspiam impurissimæ & quæ ad vitandum duntaxat deterius malum concedatur? Sed quorsum hæc aduersus nostros Catholicos? Ostendant isti mihi in tota sua Hierarchia vel vnum diaconum, & ipsos audiam de his rebus disputantes. Nos verò sanè, per Dei gratiam, meliùs & iustioribus de causis possumus de hoc negotio disceptare.

In eâdem Ancyrana synodo, οἱ παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι, id est qui vltrò promiserunt continentiam, nisi stent promissis, iubentur τὸν ὅρον τῶν δηλάμων, id est tempus digamorum pœnitētiæ præscriptū implere. Ac de digamis quidem istis agemus suo loco. Hunc autem canonem quis non videt prorsus cum alio consentire, & quod de Diaconis in priore dictum fuerat, vniuersaliter hîc statui? Iam tum enim Ecclesiam inuaserat superstitiosa illa cœlibatus admiratio, vnde exortum illud decretum cui Can. 19.

intercesſit in Nicena Synodo Paphnutius. ſed quàm procul adhuc à conſequuta corruptione totum hoc abeſſet, vel hoc oſtẽdit, quòd ne inter ſcortatores quidem pœnitentes, nedum inter adulteros, nedum inter inceſtuoſos cenſebantur qui contra promiſſum vxores duxerant. Itaque diſtinctio illa quam etiam ſequitur Eſpenſæus, inter ſimplicem hanc pollicitationẽ & votum ſolenne, ſiue inter laicalem & velatam virginem, quaſi alia vocé conciliari non poſsit hic Canon cum Chalcedonenſis ſynodi canone 16, quo virgines & monachi non continentes excõmunicantur, nihil ad rem facit. Nego enim Ancyranæ Synodi temporibus fuiſſe illum iſtiuſmodi voti vſum in Eccleſia: nego etiam in illo Chalcedonenſis Synodi canone vllam fieri dirimendi matrimonij mentionem (totum enim hoc poſtea iuuexit in Eccleſiam ſuperſtitio,) ac proinde cauſam nõ fuiſſe dico cur hoc loco diſtinctio iſta quæreretur.

De Neocæſ. ſynodo. Neocæſ. can. 1.

Id autem quod dico multo etiam magis cognoſci poteſt ex alia Synodo, quæ & ipſa vetuſtior habetur quàm Nicæna, nempe Næocæſarienſi, in cuius canone primo, preſbyter ſi vxorem duxerit, ordine ſuo duntaxat mouetur: ſin verò ſit ſcortatus, vel adulterium commiſerit, grauiùs punitur

tur. Nam certè si quis tum fuisset vsus istiusmodi voti quale isti imaginantur, interueniisset in ordinando presbytero, ac proinde matrimonium omnino fuisset diremptum, sicut postea inuecta illa voti necessitate, quàm seuerissimè cautum fuit. Interea tamen hoc negari non potest quin iam tum qui cœlibes ad presbyterium erant vocati (de his enim vnis hoc accipiendum apparet & ex Gangrensi penè tota Synodo, & ex Sextæ canone decimo tertio) vel abdicarentur, vel continentiam promissam seruare tenerentur, cuius etiam rei causas paulò antè expositimus. Quorsum hoc autem ad istius voti necessitatem? quorsum denique ad Catholicos nostros presbyteros?

Nicæna synodus.

Proxima fuit illis synodus illa Nicæna omnium vniuersalium vt prima ita etiam celeberrima, in qua quum disertè transitum sit in Paphnutij sententiam asserentis, non in Oriente duntaxat (an enim alius est Orientis, alius Occidentis Deus?) nec duntaxat Episcoporum, sed omnium τῶ ἱερατικῶ καταλόγω cum propriis vxoribus concubitum idque non ex iure nescio quo ἀγράφω vel Ecclesiastico, sed ex diserto Dei verbo purum ac legitimum esse, contra eorum superstitiosam opinionem qui hanc 7

ipsam obtrudere vouendi cœlibatus legẽ iam tum cogitabant: aut fateantur necesse est nostri boni Catholici (Conciliorum & sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ fortissimi scilicet assertores) errasse concilium quod iidem ipsi quoties libuit quatuor Euangeliis (sic enim loquuntur) exæquant, aut se potiùs magni erroris conuinci, quũ ei ex diametro obsistant, idque in re tanti momenti, quanti vix vlla esse potest. Itaque mirũ est quod ex ipso Espensæo, ingenuo certè hac in parte scriptore, didici, Torrensem, insigne illud Catholicæ Romanæ sedis columen, eò vsque efferuescere vt Socratem & Sozomenum ausus sit hac in re mendacij accusare. Quoniam autem idem Torrensis negat in actis illius Synodi tale quicquam reperiri, adscribam totam eius facti historiam, tantisper dum integra acta prælo tradantur, sicut illa non ita pridem sum nactus, & quidem in Italia bona fide descripta, ne quis à me fuisse deprauata causetur. Sic ergo illic narratur historia:

Ἐδόκει περὶ τοῦ ἐπισκόπων, νόμον νεαρὸν εἰς τὸν ἐκκλησίαν εἰσαγαγεῖν ἐν τῇ συνόδῳ, καὶ ὡς περὶ τοῦ ἄλλων τῆς ἐκκλησίας, ὅτω καὶ τοῦτο εἶσιν. Ἔγραφον οὖν περὶ τοῦ μὴ δεῖν τοὺς ἱεροψμένους, εἴτε ἐπίσκοποι, εἴτε πρεσβύ-

τερoι,

τεροι, εἴτε διάκονοι, εἴτε ὑποδιάκονοι, εἴτέ τις τοῦ ἱερατικοῦ καταλόγου, συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς ἃς ἔτι λαϊκοὶ ὄντες ἠγάγοντο. τούτων οὕτω διατυπουμένων, ἀναστὰς ἐν μέσῳ τοῦ ὄχλου τῶν ἐπισκόπων ὁ θεῖος Παφνούτιος, μεγάλῃ φονῇ ἐβόησε λέγων, μὴ βαρύνετε τὸν ζυγὸν τῶν ἱερωμένων. τίμιος γάρ, φησιν, ὁ γάμος ἐν πᾶσι καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, ἵνα μὴ τῇ ὑπερβολῇ τῆς ἀκριβείας, τὴν ἐκκλησίαν μᾶλλον προσβλάψητε. οὐ γάρ, φησι, πάντες δύνανται φέρειν τῆς ἀπαθείας τὴν ἄσκησιν. οὐδεὶς οὖν, ὡς οἶμαι, φυλαχθήσεται ἐν τῇ σωφροσύνῃ, τῆς ἑκάστου γαμετῆς τοῦ ἀνδρὸς στερουμένης. σωφροσύνην δὲ καλὴν καὶ τῆς νομίμου γαμετῆς ἑκάστου τὴν συνέλευσιν λέγω. μὴ μὴν ἀποζεύγνυσθε ταύτην ἣν ὁ Θεὸς ἔζευξε, καὶ ἣν ἅπαξ ἀναγνωστὴς ἢ ψαλτὴς ἢ λαϊκὸς ὢν ἠγάγετο. Καὶ ταῦτα ἔλεγεν ὁ μέγας Παφνούτιος, ἄπειρος ὢν γάμου, διὰ τὸ νηπίοθεν ἐν ἀσκητηρίοις ἀνατρέφεσθαι αὐτὸν, διὸ πεισθεὶς ὁ πᾶς τῶν ἐπισκόπων σύλλογος τῇ τοῦ ἀνδρὸς συμβουλίᾳ, ἀπεσίγησε περὶ τοῦ ζητήματος τούτου, τῇ γνώμῃ καταλείψαντες τῶν βουλομένων κατὰ συμφονίαν ἀπέχεσθαι τῆς ἰδίας γαμετῆς. Id est,

Placebat quibusdam Episcopis in Synodo NOVAM legem in Ecclesiam introducere, & vt de aliis Ecclesiæ rebus, ita etiam de hac decernere. Censebant igitur oportere qui sacerdotio fungerentur, siue presbyteros, siue diaconos, siue subdiaconos, quicunque denique in sacerdotali catalogo censerentur, ab vxorum concubitu abstinere quas adhuc laici duxissent. quæ quum ita ordinarentur, consurgens in media Episcoporum turba diuinus Paphnutius, magna voce clamans, Ne, inquit, aggraua te Sacerdotum iugum, quum honoratæ sint in omnibus nuptiæ, & cubile impollutum, ne potiùs ista summè exacta seueritate detrimentum Ecclesiæ afferatis. Nec enim, inquit, omnes tuendæ isti rationi vitæ ab omnibus istiusmodi affectibus alienæ, pares esse possunt: nec quisquam, opinor, castitatem seruabit, si vxores suis maritis priuentur. Aio verò honestam etiam castitatem esse, cuiusque cum legitima sua vxore congressum. Non igitur separate quam Deus coniunxit, & quam semel quispiam adhuc lector aut cantor aut laicus duxit. Hæc tum igitur dixit Paphnutius, & quidem nuptiarum expers, vt qui fuisset à pueris in asceteriis educatus: cuius consilio quum assensus esset vniuersus Episcoporum

scoporum cœtus, de hac quæstione tacuit, & cui ex mutuo consensu libuisset à sua vxore abstinere vniuscuiusque arbitrio reliquit.

Hæc tum igitur placuerũt Nicenæ Synodo, in quibus sanè non inuenio quæ apud Socratem, Sozomenum, & Nicephorum adeò disertè legũtur de non ducenda post ordinationem vxore. Nec tamen inficior posse hoc vtcunque ex istis etiam colligi, sed voti tamen nulla ibi adhuc mentio. Cur autem cœlibes ordinati, vel quorum vxores post ordinationem defunctæ fuerant, si vxores ducerent, exauctorarẽtur, causa non erat vel quòd cõiugio cum sacerdotio non conueniat, (hoc enim manifestè refellitur ex ipsius Paphnutij verbis & synodi assensu) vel quòd continentiæ ex voto necessitas fuisset vnquam illis imposita, (hoc enim si ita esset, istiusmodi coniugium fuisset ipso iure nullum, & durissima pœnitentia iam tum fuisset illis iniuncta) sed quòd cœlibes tãquam magis idonei, liberi videlicet à rei domesticæ curis, maritis anteponerentur. Ista tamen cautio fuit sanè fœnum & stipula, quanuis super fundamẽtum extructa, sicut tristissimus rerum euentus ostendit: tanti est momenti ex solo Dei verbo sic sapere vt nusquam neque ad dexteram ne-

que ad sinistram deflectas.

Vetustissimos patres votũ cœlibatus ignorasse.

Etsi verò præcipuè ex legitimarũ Synodorum decretis probabiliter iudicandum est quę tum fuerint maioris & sanioris partis iudicia, tamen quoniam solẽt nostri Catholici quoties illis placuit, peculiares huius vel illius scriptoris sententias nobis obiicere ex quibus postea vniuersales suas cõclusiones extruant, idcirco placuit ne hanc quidem partem intactam relinquere, quod mihi sanè difficile non fuit, aliorum multorum ac præsertim D. Petri Martyris laboribus adiuto.

Dico igitur nullum ante Synodum Nicænam, id est trecentis & amplius annis à Christi aduentu reperiri idoneum scriptorem, ex quo ius istud Ecclesiasticum per ea tempora viguisse appareat, quãuis minimè negandum sit iam tum cœlibatui quidem plus, coniugio verò minus quàm oporteret tributum fuisse, atque adeò Satanam in angelum lucis transformatũ prima tyrannicæ istius legis quæ veram castitatem ex orbe terrarum tandem profligauit, iam tum facere fundamenta cœpisse.

Apostoli.

Quid ergo statuerit Paulus, id est, quid in Ecclesiis tũ ipse fecerit, tum faciendum docuerit, ex eius scriptis apparet. Non aliter autem sensisse aut fecisse reliquos Apostolos,

ſtolos, vel ex eo conſtat quòd vxores circunducere non dubitarent.

Ignatius virgines ad puritatem exhortans, diſertè cautionem addit, *Nō tanquam nuptias abominantes, ſed vt præſtantius quiddam appetentes, non culpandæ coniunctionis gratia, ſed vt leges diuinas meditemini.* An verò nos aliter de iſtis docemus? Interea voti nulla ne tenuiſsima quidem mentio. Ignatius. Ignat. ad Philad.

Iuſtinus multos teſtatur in Eccleſiis extitiſſe qui ad extremam ſenectutem perpetuam virginitatem ſeruarent: voti verò alicuius nuſquam meminit. Quæſtionū enim liber Iuſtini eſſe non poteſt, vt qui Manichæos & Origenem nominet. Sed tamen quod ibi de Monachis ſcribitur, pro nobis etiam facit, vtpote quos ſcriptor ille non dicat aliqua voti neceſsitate, ſed σώφρονι λογισμῷ κατεχομένους τὰς γαμικὰς ἡδονὰς ἀποσχαζῆναι, id eſt, ratione ad caſtitatem comparata cohibitas coniugales voluntates aduerſari. Idque etiam multo magis confirmatur ex eo quòd multis pòſt annis Athanaſius Magnus, idq; ex ipſa Ægypto Monaſtices domicilio totidem verbis ſcripſit, *Multi quoque ex Epiſcopis*, inquit, *matrimonia non inierunt; monachi contrà parentes liberorum facti ſunt: quemadmodū viciſſim Epiſcopos filiorum patres, & monachos generationis poteſtatem* Iuſtinus. Iuſt. apol. 2 Idē quæſt. 21. Athanaſius. Athanaſ. epiſc. ad Draconcium.

non quæsiuisse animaduertas. Sic enim licet, & ad eum modum nō prohibetur, sed quisque vbi volet decertat. quem Athanasij locum citans Espensæus, frustrà conatur eū eludere.

Dionysius Corinthius

Dionysius autem Corinthius in epistola ad Gnosios, referente Eusebio, ipsóque adeò Hieronymo, Pinitum Episcopum grauiter monet ne hoc iugum castitatis fratribus imponat. Quòd si excipiant isti, ne se quidem velle quenquam ad votum castitatis cogi, quis non manifestum ipsorum dolum animaduertat? Quum enim carêre ministris Ecclesia nō possit, nolint autem ipsi quenquam ordinari nisi qui cœlibatum voueat, an hoc votum liberum esse patiuntur? Nam certè ita fit vt nō minus necessarium euadat votum, quàm est Ecclesiæ necessarium ministerium. Præterea vt neminem ad vouendum cogant, annon tamen ad cœlibatum seruandum cogunt? Nempe, inquiunt, quoniam vouisti, tute tibi hanc necessitatem imposuisti. Imò verò vestrum fuit & stulta vota, ne quid nunc acerbius dicam, prohibere, & semel facta, in iis saltem qui vruntur, irrita pronuntiare, vt vnicuique salua maneret libertas nō carnis, sed spiritus, quia qui propter vitandam scortationem nubit in Domino, spiritui certè seruit, non carni.

Clemens

Clemens autem Alexandrinus ex professo matrimoniū defendit in ipsis quoque Apostolis, nedum vt in eorū successoribus improbet. & multa etiam argumenta refellit à nobis antea refutata. Duobus tamē locis meminit ὁμολογίας. Neque verò nego ab iis qui cœlibes ordinarentur petitum fuisse an constituissent in cœlibatu permanere, sicut ex Ancyrana Synodo paulò antè diximus. Verùm hoc nego fuisse votum: nego pro cultu Dei habitum: dico fuisse etiam ordinatos, si ita visum esset Episcopo & plebi, qui rogati respōderent sese vxorem nisi continere possent ducturos. Dico vxores etiam post illam pollicitationem ducere, nulla ob id scortationis nedum adulterij aut incestus pœnitentia ipsis imposita, potuisse: quanuis postea qui hoc fecissent iussi sint exauthorari, nimirum propter leuitatis notam: dico etiam inauditū fuisse vt à coniugatis ordinādis peteretur vt ab vxoribus suis abstinerent, quod à primo Eliberino Concilio, cōtra Nicænam Synodum statui nec debuit nec potuit. Clemens Alexādrinus. Cle. strom. lib. 3.

Tertullianus verò, presbyter quū esset, vxorem etiam habuit, cui duos libellos inscripsit, nedum vt censeret sacerdotium pollui coniugio. Quum autem Romæ, teste Hieronymo, præcipuè vixerit, & Africa- Tertullianus.

nas Ecclesias (fuit enim Carthaginiensis presbyter) constet ad Occidentem pertinere, nullum hîc subterfugium iis patet qui vbi Orientem aliter quàm Occidentem in hoc factitare solitum responderunt, omnes nodos pulchrè se expedisse somniãt. Nam vt concedam (Romano præsertim pontifice sedulam hîc operam Satanæ nauante, vt ex Syritij & Innocentij blasphemiis apparet) aliquanto tardiùs in Oriente quàm in Occidente tyrannidem istam inualuisse, quid ad nos ista distinctio, qui non quid ab his vel illis sit factum, sed quid fieri ab omnibus ex Dei verbo oportuerit, quærimus? An verò duplex est Ecclesia Catholica? an alius Oriẽtis, alius Occidentis Deus? an quod in Græcia licet, Romæ peccatum est? & tamen ne tum quidem Romæ peccatum hoc fuisse ecce ex Tertulliano ostendimus, alioqui acerbissimo repetitarum nuptiarum hoste. Quod autem ex eôdem citatur de virginibus velandis nihil ad votum istud quod postea noua nescio qua velaminis specie insigniri cœpit, quanuis minimè inficier ibi mentionem fieri virginum quæ, vt ipse loquitur, *sanctificare carnem proposuerant*, itémque earum quæ ex consensu continebant, pro quo Tertullianus, duriter sanè, *contumeliam communem*

munem recusasse scribit. Quis enim vnquam vel in viris vel in mulieribus continendi propositum non laudauit, nisi prorsus impudens? modò id quidem ad rectum finem referatur. Sed quod Satan hoc prætextu in Ecclesiam Dei inuexit, & cui Deus ipse è cælo tot postea seculis maledixit: quod denique modicæ semper fuit vtilitatis: itémque quod ipsæ veterum cœlibatus patronorũ querelæ (nisi hoc veluti fatale quoddam malum fuisset) satis commonefacere poterant optimos eorum temporum Episcopos, omnino esse intolerabile: hoc illud est quod affirmo in puriore illa Ecclesia, id est trecentis minimùm annis à Christi aduentu fuisse inauditum, votum nimirum necessarium perpetui cœlibatus, quo miseræ conscientiæ contra expressum Dei verbum vltrò peruastæ non desinunt cò ruere præcipites, quò tandem abripi scortatores & adulteros oportet. Itaque illud Ignatij, αἱ παρθένοι γινωσκέτωσαν τὴν καθέρωσαν ἑαυτὰς, & illud ex eâdem Epistola, ἀσπάζομαι τὰς χηρολήπτους παρθένας, nihil contra nos facit, imò nostros bonos Catholicos vniuerso mundo teste, ac in primis ipsius conscientiæ morsu, plus satis redarguit. Video tamẽ ex eôdem Tertulliano duo præterea testimonia citari, vnum ex libro de

Ignatius. Ignat. ad Antioch.

Velādis virginibus, vbi alias vocat virgines Dei, alias virgines hominum: alterum verò ex libro extremo exhortationis ad castitatem, quũ tamen neuter ad rem faciat. Prior enim allusione quadam ad illud quod scripsit Moses de filiis Dei in filias hominum exardescentibus, (quem locum tamen absurdè prorsus, vt & veteres plerique, interpretatur) eas virgines quæ tum foris tum in Ecclesia velatæ semper comparebāt sicuti modestas & pias decebat, distinguit ab iis quæ foris quidem absque velato capite incedebant, in cœtu verò tectæ cõspiciebantur, satis ex eo declarantes se in cœtu duntaxat modestiam virgineam simulare, quũ foras egressæ formam suam quibusuis venditarent. In his verò quænam est vel tenuissima votiuæ, imo vllo modo promissæ virginitatis mentio? Nihil enim certè neque has, neque illas nubere prohibebat, quantum ex Tertulliano coniicere possumus. Alter autem locus manifestè ad viduarum ordinem pertinet, cuius etiam meminit libro ad vxorem priore, qua de re suo loco differemus.

Origenes. Orig. hom. 22. in Numer.

Origenem porrò, quũ in plerisque fuerit impurissimus, & adeo etiã insanierit vt seipsum castrarit, cur pro iudice admittamus? *Iuge sacrificium*, inquit, preces intelligens,

non

non nisi à virgine aut à cœlibe præstari potest. Vbi verò hoc comperit? Quid enim factũ olim esset Aaroni & aliis põtificibus? quid Petro etiam in ipsa Roma coniugato, si historicis credimus? quid aliis Apostolis vxores circunducentibus? Eiusdem est farinæ, quod idẽ numerat coniugiũ inter illa quæ ad duritiẽ cordis dũtaxat concedũtur, quod argumẽtũ proculdubiò Hieronymus ex eo deprompsit. Sed idẽ rectiùs alibi, cõtrà quàm sensit postea Hieronymus, docet sanctos quoque coniugatos offerre corpora sua hostiam viuam. Et alibi rectè inter eos qui onera importabilia imponunt, eos reponit qui nuptias prohibent. In summa verò quorsum hæc ad votiuam continentiam, & Satanicam perpetui cœlibatus legem?

Idẽ tract. in Matth.

Idẽ in Ro. 12.

Idem, in Matth. hom. 24.

Cyprianum porrò, etsi in libello de habitu virginum, verbo deuouendi & dedicandi vtitur: tamen nihil eiusmodi sensisse quale postea in Ecclesiam inuectum est, liquet ex iis quæ apertè ad Pomponium scribit, nempe vt istæ etiam ipsæ virgines si se continere non possunt, nubant. Quòd autem ibidem iniunctæ pœnitentiæ ac tãdem etiam, nisi admonitæ resipuerint, perpetuæ eiectionis meminit, quum ad eas referatur quæ continentiam simulantes de-

Cypriau. Cypr. epi. 11. lib. 1.

prehensæ fuerint vitiatæ, optimo sanè iure statuitur: neque contra nos facit: qui minimè omnium vel scortationes vel adulteria probamus, nec sanè continentiam damnamus, sed duntaxat perpetuum ac necessarium eius seruandæ votum.

Abdias. Catal. inquisitorũ. anno 1559.

Et hi quidem sunt præcipui illorũ trium seculorum scriptores quos ego quidẽ nouerim. Abdiam enim illum ineptissimum & fabulosissimum scriptorem, quem etiã Romani ipsi inquisitores proscripserunt, vt & illam de passione Petri & Pauli fabulam quæ Lino inscribitur quid attinet refutare? Philonem verò vt concedam de Ægyptiis monasteriis loquutum, non video tamen quînam possunt isti cœlibatus votarij defensores in partes suas pertrahere. Sed absit vt tam ineptarum rerum Marcum Euangelistam auctorẽ faciamus. Proferent autem fortasse locum ex altera Epistola Clementi papæ inscripta, qua prohibetur ordinatis cubile vxorum inuadere, non minore penè seueritate quàm si parricidium admisissent. Quis verò quicquid illic scribitur non animaduertat nec iis temporibus nec grauitati apostolicæ vllo modo conuenire? Quid quòd hæc eadem apud Gratianum Lucio Papæ, ne verbo quidẽ immutato tribuuntur? Ego verò vtrunque

Linus. Philo.

Clemens Romanus. Cle. ep. 2. ad Iacobũ. Dist. 81. canon. ministri.

vtrũque adulterinũ esse non dubito. Quorsum enim si ita esset, legem cœlibatus, vt rem NOVAM tot annis postea dicerentur Episcopi nonnulli in Synodo Nicæna voluisse in Ecclesiam introducere? & quàm probabile est Romanos saltẽ Τοποτηρήτας, non fuisse tam vetustum decretũ Paphnutio opposituros? Conciliũ porrò quod Romanum appellant & Syluestro tribuitur, presbytero à die suscepti oneris presbyterij coniugio interdicit: voti verò nõ meminit, nec aliam pœnam præscribit quàm vt annos duodecim à suo munere abstineat. Syluester. Conc. Ro. primi Can. 1.

Et ista quidem fortasse plus satis. Volo tamen vlterius etiam progredi, vt nihil supersit quod veritatem possit obscurare. Sexta Synodus vniuersalis. Conc. Cõstantinop. in Trullo. can 12.

Quid verbum Dei, quid purior Ecclesia, quid denique expressis verbis probarit in Pahnutij sententiam Nicæna Synodus abundè diximus. Statuit tamen contrarium in Episcopis sexta Constantinopolitana Synodus vniuersalis, alioqui quod ad doctrinam attinet orthodoxa, ne quis calumnietur eam à me non admitti. Vtri credemus? Et quid hîc respondebitis Catholici? illud nimirum quod ibi expressè dicitur: nempe hîc non prohiberi suarum vxorũ vsum Episcopis vt euertantur quæ

prius sunt Apostolicè constituta, sed partim vt fiat progressus ad meliora, partim ne status Ecclesiasticus vllo probro afficiatur. Sed quid hoc est, obsecro, putare progredi Ecclesiam ad meliora si contra expressum Dei verbum prohibentis vxorem dimitti nisi propter fornicationem, aliquid in Ecclesia statuatur? Et quāuis non quicquid licet expediat, ac bonum sit etiā carnem non edere nec vinum bibere si offendatur infirmus frater, quis tamen ad vitandum offendiculum rectè censuerit præcipiendum quod Deus disertè prohibuit, & absque animæ pernicie facere non possis? nisi fortè præstat aliquē vri & seipsum perdere, quàm non nubere, vt superstitioso gratificetur. Sed quid pluribus est opus? Audiatur illa ipsa Synodus canone proximè sequente. Ibi expressè reprehenditur & corrigitur vestra Catholica Romana Ecclesia, Catholici, quòd coniugatos presbyteros, diaconos & subdiaconos ordinandos ad cœlibatus professionem adigeret: & postea contracta matrimonia dissolueret. Sed & Carthaginiensis Synodus quæ simile quiddam iampridem constituerat, aliqua interpretatione explicatur, Quibus autem argumentis nititur ista sanctissimæ sedis & beatissimi Papæ Romani

Idem Cōc. can. 13. Romana Ecclesia falsi dogmatis reprehensa ab vniuersali Synodo.

correctrix

correctrix Synodus? Primùm quod æquũ sit antiquum canonẽ Apostolicæ PERFECTIONIS seruari. Secũdò, ne nuptiis quas Deus constituit, suáq; præsentia cõsecrauit iniuria afferatur. Tertiò, quoniam expresso Dei verbo cauetur, ne quod Deus cõiunxit, homo separet: & Apostol⁹ docet honoratas esse nuptias, & thorũ immaculatũ, &, Alligatus es, inquit, vxori? ne quære solutionẽ. Quid verò vos ad ista potestis regerere, Catholici? Lutherana certè hæc non sunt, neque Caluiniana, sed vniuersalis Synodus sic decernit, cũ Nicæna hac in parte consentiens. Hæc, inquam, vestrã hanc legẽ vt Dei verbo, & Apostolicæ perfectioni repugnantẽ condemnat: & vos istius pertinaciæ non tandẽ pudebit? Operæpretiũ est tamẽ audire quid opponatis. *Nõ cõuenerat,* inquit Hũbertus Cardinalis, *ista Synodus ad tradendũ Romanis nouas cõstitutiones, sed ad destruendã Monotheliarũ hæresin.* Quasi verò nouũ fuerit post dogmatũ cõtrouersorũ decisionem, canonas de cæteris rebus statuere. Sed & F. Surri⁹ Carthusian⁹ hũc canonẽ habet pro næuo, quòd, inquit, matrẽ omniũ Ecclesiarũ Romanã Ecclesiã pauci canones æquo acerbiùs perstringãt. Ergo quid supereſt, boni viri, nisi vt etiã vniuersales Synodos legitimè coactas & congre-

Obiect. 1.

Respons.

Obiect. 2.

Respons.

gatas, imò & Romananam ipsam Ecclesiam errare posse fateamini, vtpote quæ per suos legatos isti decreto non intercedens, in suiipsius damnationem consenserit? Sed hoc lepidum est profectò, vt toties errasse censeantur Synodi quoties aliquid constituerint quod postea S. D. Papæ non allubescat.

Interea illud sanè manifestè liquet non posse istos Patres ab omni errore in superiore canone excusari, & quidem (quod eorum pace dictum sit) iis ipsis argumentis conuictos quibus aduersus Romanam Ecclesiam rectè vtuntur. Quicquid enim ad Diaconorum & Presbyterorum coniugium minimè dirimendum proferunt, valet etiã & ex Dei verbo & ex Apostolicæ perfectionis ordinatione in Episcoporum connubiis. Quo iudicio igitur ista quidem dirimunt, nescio quid melius, id est ipsa perfectione perfectius, imaginantes, illa verò dissolui, & quidem optimo iure, non patiuntur? Tanti nimirum est momenti à verbo Dei ne tantillum quidem deflectere. Ad Carthaginiensem autem synodum quod attinet, ea intelligenda est quæ, quũ Syritii & Innocẽtii primi blasphemiis Occidẽs infectus iã esset, habita est Carthagine, anno Domini 422, in cuius 3, 4, & 25, canone

Carthag. Synodus. Distin. 84. Quum de præterito.

none diſertè cauetur de epiſcoporũ preſbyterorum & diaconorum caſtitatis vinculo implicatorum continentia, & quidem facta præcedentis Synodi mentione, nempe quintæ circa Innocentij tempora habitæ, cuius ea de re canonem tertium duobus locis inculcat Gratianus. Hunc igitur canonem quoniam ſic explicat vniuerſalis iſta de qua nunc agimus Synodus, vt eum dicat duntaxat de eo tempore accipiendum quo munus ſuum obeunt, non autem quaſi ſemper à ſuis vxoribus abſtinere iubeãtur, mirum quas hîc turbas boni viri Pighius, Torrenſis, Sotus, excitent, adeò quidem vt totam etiam Synodum conuitiis afficere audeant: tantus eſt bonorum Patrum pro Romanæ ſedis tuenda dignitate zelus. Res autem ita omnino ſe habet. Citat tertius ille Canon illius Synodi poſterioris, τὸ ἐξ ἀποστόλων παραδοθὲν καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἀρχαιότητος κρατῆσαι, quod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa vſque antiquitate obſeruatum. Id autem quum patres illi Conſtantinopoli coacti viderẽt falſiſsimũ eſſe ſi ſimpliciter accipiatur, idcirco verba iſta eiuſdem canonis ὑπηρέτουσι θείοις καθιερώμασιν, *qui diuinis ſacris ſubſeruiunt*: & iſta quarti canonis, οἱ τὰ ἱερὰ ψηλαφῶντες, *qui ſacra contrectant*; & iſta viceſimi quinti, τὰ ἄγια μυστήρια

Diſtin. 84. quum de quorundã, & 31. quoniã in Romani.

ψηλαφωσῶν, *quæ sacra mysteria contrectant*: ista, inquam, verba non de munere ipso, sed de muneris, vt sic loquar, exequutione sunt interpretati: ita videlicet vt quemadmodũ suæ demum vicis tempore Leuitæ & Sacerdotes à suis vxoribus abstinebãt, (quod tamen nusquam dicitur in Lege) ita etiam lex cœlibatus in Christianis sacerdotibus valeat. Eôdem etiam applicant illud Pauli, de continentia ad tempus. nec id quidem satis rectè, quum de extraordinariis precibus & ieiuniis ibi agat Apostolus, vt rectè tradit Dionysius Alexandrinus ad Basiliden. Sic igitur boni illi Patres explicarunt Canonas illos Carthaginienses, alioqui prorsus intolerabiles. Verum tantum abest vt ea res Ecclesiæ Romanæ adulatoribus satisfecerit, vt contrà tanquam falsarios acerbissimè conuitientur. Et sanè mihi verisimilius est Carthaginienses illos ab Episcopis Romanis Syritio & Innocentio fascinatos, simpliciter potiùs continentiæ legem præscribere voluisse, cui errori iam abundè respõdimus. Imò quod hi statuunt de vicis tempore, non multo minus est superstitiosum. Vbi enim hoc in lege veteri cautum inuenient? & vt tũc cautum fuerit, quo iure volunt illa merè legalia in vsum reuocare?

Dionys. epist. ad Basiliden, can. 3.

Hinc

Hinc tamen sibi visi sunt nonnulli Romanæ tyrannidis fautores rimam inuenisse qua ipsis pateat effugium. *Nam*, inquiunt, *si iustè prohibentur in Oriente sacris initiati cum propriis vxoribus manere vicis suæ tempore, nonne æqua erit constitutio vbi sacerdotes & reliqui non præfinitis vicissim hebdomadibus, sed perpetuo sacrificant, vt in Occidẽte?* Imò verò, F. Surri, totum istud de vicibus Iudaicum est, non Christianum: imò ne Iudaicum quidem, sed prorsus cõmentitium: imò planè Satanicum, quum vt immũdum culpet quod Scriptura pronuntiat τίμιον καὶ ἀμίαντον, Deo videlicet quicquid est in coniugali debito ἀταξίας, honestate nuptiarum obtegẽte. Sed vt illud valere posse demus, non tamen id quod tu vis efficitur. Nam præterquam quòd falsissimum est omnes sacerdotes quotidie in Romana Ecclesia sacrificare, (rite autem an minus rite sacrificent nunc non quæro) vnde ista toties sacrificãdi necessitas nisi ex priuatarum missarum abusu prorsus intolerabili, etiamsi alioqui vestræ missæ tolerabiles essent? Apage igitur & vestram hanc necessitatem & vestra quoque sacrificia. Manet autem illud, reprehensam fuisse, præsentibus & subscribentibus Episcopi Romani τοποτηρίταις, Romanam Ecclesiam, à recepto concilio

Obiect. 3. Vide admonitione, F. Laurentii Surrii, in can. sextæ Synodi. 13.

Respons. 1.

2

vniuersali circiter annum Domini 681, id est, ante annos 887, & quidem vt verbo Dei, & Apostolicæ regulæ repugnãtem, in voto cœlibatus à Presbyteris & Diaconis exigendo.

Quoniam verò iampridem Romani põtifices istos canonas oppugnarũt, libet hac de re Balsamonis scholion ex manuscripto codice vetustissimo descriptum subiicere.

Ἐπεὶ δὲ καὶ οἰκουμενική. Καὶ γὰρ οἱ δυτικοὶ ἐπίσκοποι, Ἰταλοι δηλονότι καὶ Λατῖνοι ὑπὸ τῶν κανόνων τῆς τοιαύτης συνόδου καιρίως πληττόμενοι ἐνίστανται μὴ εἶναι ταύτην οἰκουμενικὴν, μηδὲ τοποτηρητὰς τοῦ πάπα ἐφόμως ἐν αὐτῇ παρουσιάζειν, διὰ τὸ ἄλλην εἶναι τὴν ἕκτην σύνοδον τὴν ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου τοῦ Πωγωνάτου γενομένην ὡς εἴρηται, ταύτην δὲ μετὰ χρόνους γενέσθαι πολλοὺς, κατὰ κέλευσιν τοῦ ῥινοτμήτου Ἰουστινιανοῦ. ἀλλ' ἐγὼ μὴ ἀνεχόμενος ἀκούειν τοιούτων, καὶ μᾶλλον βλέπων τὴν ὕφην τοῦ προσφωνήματος τούτου, καὶ ἐφεξῆς τοὺς κανόνας λέγοντας ὥρισεν ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος τάδε καὶ τάδε, τὰ μὲν νεόγραφα νομοκάνονα, ὡς μὴ ἔχοντα ὑπογραφὰς τῶν ἐνδημούντων τὰς συνόδους βασιλέων καὶ πατέρων, παρέδραμον, ἐνὶ ηλα-

φησα

φησὶ δὲ παλαιότερα νομοκάνονα, καὶ οὗ εὗρον ἐκ τῶν ὑπογραφῶν ὅτι καὶ ἐν τῇ τοιαύτῃ συνόδῳ τῇ ἐν τῷ τρούλλῳ τοῦ βασιλικοῦ παλατίου συστάσῃ παρῆσαν Βασίλειός τις τῶν Γορτυναίων μητροπόλεως τῆς νήσου κρήτης, καί τις ἐπίσκοπος Ραβέννης, τὸν τόπον ἐπέχοντες πάσης τῆς συνόδου τῆς ἐκκλησίας Ρώμης Καὶ οὐ μόνον αὐτοὶ, ἀλλὰ καὶ οἱ τότε ὄντες λεγάτοι τοῦ πάπα, ὁ Θεσσαλονίκης, ὁ Σαρδανίας, ὁ Ηρακλείας, Θρᾴκης καὶ ὁ Κορίνθου. Id est,

Est autem hæc quoque Synodus vniuersalis. Etsi enim Occidētales Episcopi, Itali videlicet & Latini, quibus lethale vulnus à quibusdam huius Synodi canonibus infligitur, valde instant istam non esse vniuersalem: neque ei interfuisse Romani papæ vicarios, quòd alia sit sexta Synodus regnante Constantino Pogonato habita, sicuti dictum est, hæc verò multo pòst tempore Iustiniani Rhinotmeti mandato coierit: ego tamen hæc audire non sustinēs, & huius allocutionis cohærentiam potiùs considerans: & ordine sequentes Canonas his verbis scriptos, SANCTA & vniuersalis Synodus hæc & hæc definiit, præteritis recentibus Nomocanonibus, vt qui neque Regum neque patrum à quibus editæ sunt

Synodi, subscriptiones contineant, sumptis in manus vetustioribus Nomocanonibus, cōperi ex subscriptionibus, in hac quoque Synodo, quæ in Trullo regij palatij coiit, adfuisse vniuersæ Synodi Romanæ Ecclesię nomine vicarios, Basiliū quēdam Gortynæ Cretæ insulæ metropolis, & alium quēdam Rauennæ episcopum, neque istos dūtaxat, verùm etiam papæ tunc Romani legatos Thessalonicæ, Sardiniæ, Heracleæ in Thracia, & Corinthi episcopos. Hæc ille.

Cedò igitur, quod tandem est istius Ecclesiastici iuris fundamētum, vtpote quod ex verbo Dei ab vniuersali Synodo, minimè (quod cōstet) reclamantibus totius Romanæ Synodi vicariis, & Episcopi Romani legatis, apertè destruatur? Et tamē quidam nō ita pridem, cuius sanè me miseret quòd ne manū quidem porrigente ipsi tot annos veritate, possit ex hoc cœno emergere, pulchrè sibi videtur Tridentinū conciliabulū excusasse, cp legem super hac re latam, Ecclesiasticā vocarit: quasi verò duabus sellis sedeat Ecclesia, vna quidē diuina quæ Ecclesiastica nō sit, altera quæ Ecclesiastica sit nō diuina. Neq; est quòd me quisquam calūnietur quasi dissimulē quod nullus ignorat, quasdā esse leges diuinas totidem verbis scriptas, quasdā quæ vt præscriptis verbis

Tridentinum concilium frustra Espensæus nititur excusare.

bis latæ nõ ſint, tamen ex ipſa διανίᾳ aut ex neceſſario cõſequenti colligantur, quas iſti explicitas & implicitas aut aliis quibuſuis vernaculis nominibus appellãt. Hoc ego fateor, hoc cõcedo, quod nemo noſtrûm qui nouatores, deſertores, hæretici deniq; vocamur, vnquam eſt inficiatus. Sed hoc dico, & hoc iampridẽ omnes vociferamur quod iſti ſurdaſtri clariùs multo quàm velint exaudiũt, non modò neq; in explicitis neq; in implicitis Dei mãdatis inueniri iſtud tyrannicum & diabolicũ votum, quod nulli minùs obſeruant quàm qui maximè illud defendunt, ſed etiam explicitiſsimo, vt ipſorũ verbis vtar, verbo Dei, explicitiſsimáque purioris Eccleſiæ conſuetudine damnari.

Nemo etiam perinde me calumnietur acſi negem multa eſſe quæ quũ neceſſariò varientur, tẽporariis legibus indigeãt, quas certè nemo ſanę mẽtis inficiabitur ex legitimi cœtus Eccleſiaſtici ſententia conſtitui oportere, vt omnia in domo Domini ritè & ordine fiant. Hoc enim quis vnquam noſtrûm negauit quod ipſa rerũ natura redarguit & ipſi quotidie facimus? Sed hoc dico, hoc clamo, hoc vociferor quod ille certè non ignorat, & exprimere potiùs debuit quàm cõtra conſcientiam Tridentinũ illud conciliabulum vtriuſque tum Græcæ tum

Latinæ Ecclesiæ Canonibus conforme dicere: nempe neque nunc in Romana Ecclesia quæ se nō minùs falsò quàm ineptè Catholicam vocat, esse vllū legitimum cœtū constitutum qui de istis vel constituendis vel interpretādis legibus aliquid ordine & more maiorum sanciat: neque vnquam in istis quæ ad cōscientias vinciendas spectant siue quæ per se vel iusta vel iniusta sint, licuisse quicquam Ecclesiæ vel tantillum extra Dei verbū scriptum, id est extra vtriusque fœderis tabulas Canonicas, statuere. Nos ita sentimus, ita scribimus, ita viuimus, bone vir. Tu verò videris qua cōscientia scripseris nos desertores (desertores quidem vestrorum & secundum carnem & secundum spiritum lupanarium) legem de cōtinentia clericali & monastica pedibus prorsus hircinis & suillis proculcare. Nam tu quidem certè cōtinentiam & inter clericos & inter monachos tuos non magis quàm reipubl. Platonicæ Ideam inueneris: Satyrorum autem & Faunorum capripedum lustra tam bene nosti, vt ne dissimulare quidem possis, tanto futuro in te grauiore Dei iudicio, nisi recto tandem pede incedas.

Quæ initio causa fuerit cœlibes ministros deligendi.

Placet vnum adhuc attingere quod prætermitti sanè non debet. Causæ cœlibatus iis suadendi qui eo vti possent, ex Paulo notæ

notæ sunt. Quas postea rationes nonnulli commenti sint, nescio quo Angelicæ puritatis studio planè præpostero, ex iis quæ diximus abundè liquet. Quas denique postremi hominum excogitarint, hypocritæ videlicet manifesti & qui de cõtinentia loquuti bacchanalia viuunt, partim ex tyrannicis Paparum decretalibus, partim ex tristissimis multorũ populorum casibus, partim ex præsentis seculi moribus licet æstimare. Medij autem inter hos & illos fuerunt qui prudentia quadam nixi, quæ nunc quoque vtinam ne plenam Templi Domini instaurationem impediat, non modò requisierunt cœlibatum in ordinandis Episcopis & aliis id genus, verùm etiam vt ordinandi nullos nec filios nec nepotes haberent, siue illas leges amplectantur, siue respuant. Sic enim sanciuit Iustinianus, & quidem tribus Nouellis: ac, quod magis mireris, citatis etiam in eam sententiam non minùs falsò quàm impudenter & Apostolicis scriptis & sacrorum canonum definitionibus. Est autem hæc ipsa constitutio quam Pelagius papa qui Gregorium Magnum anteecessit Principalem vocat, cuius etiam sanctionis causam quoniam pulchrè explicat, totum rescriptũ vt à Gratiano citatur, placuit adscribere. Sic ergo ibi

Nouell. 6. & 123. & 137.

Distin. 28. cap. de Syracus.

Pelagius, adhuc ex eorũ Episcoporum numero qui leges ab Imperatoribus acciperent, quas tamen pro arbitrio iam tum inflectere incipiebant.

Distin. 28. cap. de Syracus. *De Syracusanæ vrbis antistite, optauerāmus in ipso initio gloriæ vestræ desideriis obedire, nisi nos multiplex ratio ipsius non paucis tẽporibus ordinationem differre sacerdotii coegisset. Ob hoc autem, quòd vel personæ qualitas (sicut & vos melius nostis) vel superstes vxor aut filii (per quos Ecclesiastica periclitari solet substantia) nostros animos diutius ab eius ordinatione suspenderet, quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno distulimus: opinantes quòd in melius Syracusanorum prouenire posset electio. Sed quia in voluntatis suæ proposito irreuocabiliter perstiterunt, & nullus est alius in eadem repertus Ecclesia, nisi longioribus adhuc temporum differretur spatijs: ne paulo amplius insanirent (sicut filii vestri magnifici Prætoris testificatione didicimus) inter huiusmodi ambiguitates illud consultius iudicauimus faciendum, vt congrua prouidentia causam, propter quam principalis constitutio habentem filios & vxorem ad episcopatus ordinem promoueri prohibet, salua dispositione concilii muniremus: quare summo studio ab eodem Syracusanæ vrbis episcopo, priusquam à nobis in episcopũ contingeret*

geret ordinari, huiusmodi exegimus cautionem per quam & suam faceretur, quantula esset, præsentis temporis habita rerum descriptione, substantiam: & nihil vnquam per se aut per filios & vxorem siue quamlibet propinquam aut domesticam vel extraneam forte personã de rebus audeat vsurpare Ecclesiæ: & vniuersa sui Episcopatus quæsita tempore, Ecclesiæ suæ dominio jociaret: nihil vltra id quod modò descriptum est, filiis suis vel hæredibus relicturus.

Ex his autem nemo non videt non propriè religionis causa, sed vt Ecclesiasticis facultatibus caueretur, cœlibes fuisse maritis antepositos, quantumuis cœlibatũ iampridem nõnullis spoliis matrimonij exornassent. Quid autem hîc potiùs deplorem quàm & principum & pastorum præpostera iudicia? Cur enim à verbo Dei potiùs quàm à carnis prudentia consiliũ non petunt? Deprecati sunt Apostoli crescente Ecclesia Hierosolymitana quod nunc vnũ isti, illorum scilicet successores, cupidissimè arripiunt: & pro quo vno retinendo nõ dubitant hodie totum orbem terrarũ concutere, nempe bonorum Ecclesiasticorum administrationem. Itaque quum hoc quoque ad tempus Hierosolymis summa fide curassent, totum hoc onus mox à se abdi-

Causam non satis fuisse obligandi cuiusquã ad necessariã cœlibatus observationem. Arg. primo

catum Diaconis reliquerunt, seruato sibi videlicet tum administrandi sermonis tum precum munere, quod à Domino acceperant. *Nam*, inquiunt, *non est æquum nos derelicto sermone Dei, ministrare mensis.* Hanc certè rationem si amplecti maluissent posteri quàm omnia Episcopis in manus tradere, quibus nihil æquius videtur quàm quod iniquum esse iudicarunt Apostoli, tot tantáque mala Ecclesiam non euertissent funditus, vtpote quæ iampridem nullũ remedium patiatur.

Secũdum. Deinde, quum disertè Paulus inter illa ex quibus periculum fieri vult de Episcopo ad regẽdam Domini familiam idoneo, illud quoque requirat vt domui suæ bene præsit, & liberos habeat ad obedientiam & honestatem rectè compositos, quæ hæc fuit audacia in eo Imperatore qui se religiosissimum vocaret, quicunque essent mariti & patres ab episcopatu excludere? quæ verò Episcoporum ac præsertim summi illius (si Deo placet) & vniuersalis catholicæ Ecclesiæ capitis negligentia, imò quæ fides & conscientia, non modò de tanta verbi diuini deprauatione Imperatorem alioquin, vt arbitror, minime malum non commonefacere, verùm etiam ex istiusmodi legibus Ecclesiam administrare?

Bene

Tertium.

Bene autem illud cecidit quòd cessantibus vel potiùs in tuenda sua Tyrānide occupatis Romanis Episcopis, repertus est inter ipsos Imperatores qui hanc constitutionem non modò vt iniquam, sed etiam vt stultam refigeret. Is autem est Leo cognomento Philosopus, ac sanè reipsa in hoc quidem sapiens, cuius etiā verba ipsa placuit adscribere: *Mirari subit*, inquit, *quomodo non veriti nonnulli sint sacras diuinasque Leges tanquam illæ absolutæ non essent promulgatis aliis Legibus abrogare. Etenim quū sacri Canones, quibus locis de Episcoporū creatione præscribunt, statuant, eum qui ex legitimo matrimonio liberos habeat si modo in reliqua vitæ ratione nihil impedimenti sit, ad primarium sacerdotium promoueri posse: hi in cōtrarium statuentes aiunt, vt ii qui liberos habent, tametsi legitimi coniugii munus sint, ad Episcopalem dignitatem euadant, sano impedimento non vacare. Quod ideo fortasse in animum induxerunt, quod affectione quadam erga liberos (quid enim quis alius dicat?) sacras facultates oblaturus istiusmodi videatur. Verùm non rectè sese illa ratio habet. Sic nanque nec is cui fratres aliive cognati fuerint accessum ad Episcopatum haberet: siquidem & ad hos sanguinis propinquitatisque affectio respicit. Quin & hoc præuidentes diuini Ca-*

Leo Nou. 2.

nones, fecerunt Episcopis potestatem, vt si ipsi cognati pauperes essent, illorum inopiam ex sacris facultatibus subleuarent. Nostra igitur Imperatoria quæ ex Deo est maiestas, si mandatis diuinis insistatur, id longè conuenientius fore animaduertens, consonam illis profert legem quemadmodum ipsis videtur ad primarium sacerdotium promoueri posse, qui illo honore alioqui dignus sit, tametsi liberos lege tamen honoratos habeat, ita definiens vt ab eo qui contradicere ausus fuerit, lex pro audaciæ pœna perpetuum silentium exigat. Hæc ille, satis declarans quod antè dixi, nempe non tã sanctimoniæ maioris gratia quàm vt facultatibus Ecclesiasticis consuleretur cœlibes & ἀτέκνους fuisse maritis & patribus antepositos.

Quartum. Nullam autem ne tum quidē fuisse voti necessitatē in Episcopis, sed eis ordinādis licuisse vel cœlibatū (si libuisset) promittere (quē nisi postea seruassent, exauthorabātur duntaxat, vt antè diximus, neq; n atrimonium dirimebatur) vel vxorem ducere, & nihilominus ordinari, abolito hac in parte canone illo 12. Synodi sextæ de quo paulò antè diximus, ipsáque adeò Iustiniani

Idē Nouel. Nouella 6. imò etiam intra biennium ab ordinatione illis adhuc licuisse vxorem ducere, liquet ex alia eiusdem Imperatoris consti-

conſtitutione, in qua tamen iſtud quod de biennio diximus ſuſtulit, idque addita ea ratione quæ ſatis oſtendit iam tum Orientem quoque nonnihil fuiſſe Romanæ Eccleſiæ veneno afflatum.

Mitigat autem etiam illud de cœlibatu, quòd tum Epiſcopos eligere ante triceſimum quintum vitæ annum non licebat, intra quod ſanè ſpatium ipſis abundè licuerat ſuarum virium periculum facere. Quintum.

Et tamen quanto ſatiùs fuerit à puro Dei verbo nuſquam deflectere, vel ipſis cæcis perpetua tot ſeculorum experientia demonſtrat. Quos enim tumultus, in omnibus Gentibus Tyrannica & planè diabolica lex iſta peperit? quot inde populorum vel in vna Germania ſtrages? quot infanticidiis contaminatus vniuerſus terrarum orbis? quæ ſpurcitiæ Romam ipſam præſertim, omnis iſtius mali ſcaturiginem, quanuis iam ab vltima memoria turpium omnium libidinum parentem obruerunt? an vnquam Sodoma & Gomorrha vſque adeò coram Domino Deo exercituū fœtuerunt, atque obſcœniſsima iſta non hominum, ſed porcorum colluuies, dicam, an ipſius Satanæ proluuies? Sextum.

Imò quis hoc non miretur, nullis vnquā modis hoc potuiſſe obtineri vt lex iſta Septimū.

quantumuis repetitis canonibus sancita, & crudelissimis edictis confirmata, inuiolabiliter seruaretur? Repugnabat enim ipsa rerum natura, contra istos conscientiarum carnifices, Deum humani generis, & sancti coniugij authorem interpellans: nec Deo vnquam visum est vsque adeò aduersariis laxare habenas, vt quod ipse sanxisset prorsus irritum euaderet.

Octauum. Quid quòd ipsis pontificibus (pecunia tamen delinitis iuxta illud, Qui altari seruit, ex altari viuat) religio non fuit, vtcunque in scholis sese miseri homines de indispensabilitate disputando fatigarent, suis ipsorum legibus derogare quum libuisset: & quod pro irremissibili peccato ducunt quoties libuit, vltrò concedere? Nempe, Obiectio. Responsio. inquiunt, publici alicuius maximi boni causa. quasi verò facienda sint vnquam mala, vt bona eueniant: quasi non sit bonis pastoribus vel vnius animulæ ratio habenda, quasi denique Romanorum Episcoporum hac etiam in re ambitio, auaritia, πρόσωπολη-ψία denique non sit ex omnibus historiis manifesta.

Nonum Synesius a Patrum. Obiectio. Rectiùs itaque multo Synesius, testatus se non dimissurum vxorem quam & Deus & Lex & Episcopi manus ipsi tradiderant. Neque nobis Epiphanius hac in parte audiendus

diendus, quem sanè mirũ est audere etiam Canonas proferre, quum nemini dubium esse possit quin Nicænæ Synodo ex diametro repugnet. Intolerabilis autem planè in hoc quoque Hieronymus, quum hæc scribit: *Quid faciẽt Orientis Ecclesiæ, quid AEgypti & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes. aut, si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* Etsi enim non deerant qui præpostero zelo istud iugum vellent quibusuis imponere, tamen, vt Epiphanius ipse fatetur, & vetus historia testatur, nunquam huiusmodi continentiæ necessitas in Oriente valuit, imò ne in Occidente quidem absque maximis turbis obtinuit. Respons. Obiect. 2. Respons.

Illum autem ex Patribus cuius nomini libens parco, quis nõ videt ludere quanuis in re nimiùm seria, potiùs quàm seriò agere, quum in his verbis Apostoli, τὸν ἴδιον οἶκον προϊστάμενον, *qui domui suæ bene præsit*, domũ interpretatur vniuscuiusque corpus, vt hoc quoque ad cœlibatus legem torqueat? Hieronymum denique quis ferre possit vsque adeò deprauantem Apostoli verba, vt illic quoque nomine τῶν τέκνων, id est liberorum, filios τοὺς λογίμους, filias τὰς πράξεις intelligat? Sed de his sanctissimis nugis plus satis. Obiect. 3. cũ respon. Obiect. 4. cũ respons.

Conclusio. Summa autem istorum hæc est, ne Ecclesiasticum quidem ius illud videri posse quod & verbo Dei, & Apostolorum totiúsque veteris illius purioris Ecclesiæ moribus ex diametro repugnet.

De digamiæ interdicto. Nunc verò tandem ad digamiæ interdictum accedamus, ac primùm quid hoc nomine intelligatur expendamus.

Quid digamia, & eius species triplex. Neque digamiam neque digamum in verbo Dei inuenio: imò ne apud probatos quidem authores Græcos legere memini. Sed vt ἄγαμος & πολύγαμος dicitur, & vetus poeta scripsit τειγάμιον γυναικος, ita non video cur illa quoque non licuerit vsurpare. Itaque de voce non contendimus, sed de rebus ipsa quærimus. Etsi enim ipsa nominis notatio declarat digamiam repetitas nuptias significare, tamen quum vel simul vel successiuè, vt loquuntur in scholis, plures vxores ducantur, non parua est controuersia, quum de bimaritis & binubis agitur, vtra digamia significetur. Accessit autem alia quoque postea difficultas, quoniam qui viduas ducunt numerari quoque inter digamos cœperunt. Ego sicut non inuitus concedo digamorum nomine significari quotquot duas vxores siue simul siue successiuè duxerunt, ita etiam aio vnius vxoris virum, & vnius viri vxorem apud Apostolum iis demum

Prima & secunda.

Tertia.

demum digamis opponi qui plures simul vxores habent. De quibus autem digamis in veteribus Synodis agatur suo quoque loco expendemus. Sed qua ratione digami censendi sint qui viduas ducunt, illud sanè videre non possum. Cæterùm quocunque nomine res istæ significentur, videamus an hîc saltem possimus eorum quos sæpe iam reprehendimus sententiam probare.

Prima species digamiæ illicita.

Sanè quòd ad veram digamiam attinet, qualis fuit Lamechi, quum videlicet plures vxores aliquis simul habet, quâtopere nos eam improbemus ex iis apparet quæ aduersus Ochinũ apostatam initio huius tractationis disseruimus. In altera verò siue semel siue sæpius, successiuè tamen, repetitarum nuptiarum specie, dissentimus, tum ab iis qui digamiæ detrahunt contra Dei verbum, tum etiam ab iis qui digamos Ecclesiæ ministeriis excludunt. Contrarium affirmo, nempe repetitas nuptias à Deo esse benedictas vt & primas, nec cuiquam qui vratur, vel ex iure diuino vel vlla iusta ratione prohibitas.

Altera digamiæ species, id est successiua nuptiarum repetitio quibusuis licita.

Cæterùm quod ad prius illud attinet, equidem non ignoro dicere consueuisse veteres illos alioqui orthodoxos, minimè à se damnari quantumuis sæpe repetitas nuptias, adeò vt in hæc etiam verba Hieronymi refutata testimonia contra repetitas nuptias.

Hiero. lib. 2. in Iouinian. & in Apologia ad Pamachium. Primum. Hieronym. aduersus Heluid.

mus erumpat, *Nõ damno digamos, trigamos, & si dici potest, octigamos.* Sed protectò, quod illorum pace dictum sit, cogunt nos aliæ eorundem voces in rem ipsam inquirere. Quid de hac re senserit Tertullianus, quem hanc ipsam ob causam idem Hieronymus alicubi hac exceptione, breuissima quidem illa sed verissima, repellit, quòd homo Ecclesiæ non fuerit, satis liquet. Sed quid si ille ipse Hieronymus deteriora etiam scripsit? Et vtinam quidem meliora senserit quàm scripserit. Eius igitur hæc verba sunt in Iouinianum, *Melius est alterum & tertium vnum virum nosse quàm plurimos, id est, tolerabilius est vni homini prostitutam esse quàm multis.* Idcirco verò reprehensus quasi primas nuptias comparasset scortationi, quid respõdet? Se videlicet ista scripsisse non de primis nuptiis, sed de digamia & trigamia, & ita quidem vt addiderit se recipere quoque scortatorem pœnitentem. Sed vt ea omittam quæ, vt antè diximus, in primas etiam nuptias scripsit, quibus sanè nihil dici asperius in vllum crimen potest: hoc tamen effugere nõ potest, quin eam quæ nuptias priore viro mortuo repetit, dixerit sese prostituere & pœnitentia egere. Hoc autem si ita est, an non est digamia scortationis species? annon peccare

Refutatio.

re censet & quidem grauiter, qui pœnitentia publica indigeant? & quomodo istos nõ damnat? imò si hoc verùm esset, quomodo ipse damnandus non esset, nisi illos damnaret? Sed de ista pœnitentia postea viderimus.

Illud autem quis excusaret quod idem alibi scribit in illud Apostoli dictum, *Quædam enim declinauerunt post Satanam. Vide*, inquit, *qualia sint matrimonia quæ lupanaribus præferũtur. Ideo adolescentula vidua quæ se non potest cõtinere maritum potius accipiat quàm diabolum. pulchra nimirum & appetenda res quæ Satanæ comparatione suscipitur.* Pulchra sanè res, Hieronyme, & diuina, cui Deus benedixit: quę remediũ est purum & immaculatum aduersus ignitum serpẽtem: & de qua dixit Paulus, Nubat in Domino. Secũdum. Hieron. ad Saluinam. Refutat.

Tolle, inquis eodem loco, *quod peius est, vri & per se bonum non erit nubere.* Cur ego verò non regeram, quum illud tollere non possis, inique te facere qui hoc abiicias? Et illud cur vicissim non dicam, Tolle, imò sic mitiga impedimenta quæ superueniẽs peccatum inuexit in nuptias, vt vocationem alicuius non impediant, & bonum erit hominem solum esse? tolle propter quæ continentiæ locus est, & per se bonum non erit continentia? Tertium. Refutat. 2

Quartum. Quid quòd idem ille quasi non satis esset semel ista scripsisse, inculcat etiam ista
Hieron. ad Gerôtiam. suæ Gerontiæ, & quidem putidioribus certè verbis quàm vnquam scripserit Tertullianus in côdem argumẽto? *Præfert*, inquit, *digamiam fornicationi*. Et mox, *Tolerabilius est digamum esse quàm scortum*. Et mox, *Non solum*, inquit, *ab officio sacerdotii excluditur digamus, sed & ab eleemosyna Ecclesiæ, dum indigna putatur stipe, quæ ad secunda connubia deuoluta est*. Et postea, sanè vt illum omnino credas lectoribus illudere, *Damnamus*, inquit, *secunda matrimonia? minimè. Abiicimus de Ecclesia digamos? absit. In arcâ Noe non solùm munda, sed & immunda fuerunt animalia. habuit homines, habuit & serpentes. In domo quoque magna, vasa diuersa sunt: alia in honorem, alia in contumeliam. Est crater ad bibendum, & matula ad secretiora*
Refutat. 1. *naturæ*. Obsecro verò qui sic loquitur, qui digamos nonnisi pœnitentes recipit, ab eleemosyna Ecclesiæ excludit, serpentibus, matulis denique comparat, annon illos seueriſsimè damnat? an æquũ facit, qui quod
2 facit se tamen negat facere? an denique mũdus est, cuius tam immundus est sermo?
3 Sed his omnibus illud vnum Apostoli satis fuerit opponere, *Vxor alligata est lege viri*, (non lege peccati nec carnis, vt tu quoque scribis

scribis, Hieronyme) *quandiu viuit vir eius: quod si obdormierit*, (mortis videlicet somno, vt nullum hîc subterfugium neque Tertulliano, neque Chrysostomo pateat, quasi somnus iste vinculum coniugij non abrumpat) *libera est ad nubendum cui velit, tantùm in Domino.* An enim vas est ad contumeliam, an serpens, an matula, quæ nubit in Domino? an propterea eleemosynis Ecclesiæ indigna quòd Deo ad coniugium vocanti sit obsequuta? In hoc autem de eleemosyna videtur etiam Hieronymus alio modo, & quidem de industria, errasse. Viduæ enim de quibus conqueritur Apostolus, quòd velint nubere, non ab eleemosyna propriè, sed à ministerio viduarum abiiciebantur. Sunt enim distinguēdæ viduæ quarum inopiæ subueniebatur ex Ecclesiæ ærario, ab illis viduis quæ καταλέγονται, id est in earum album referebātur, quæ pauperibus & aliis sanctorū vsibus inseruiebant. Itaque sustentabantur quidem istæ ex ærario Ecclesiæ, vt probabile est: sed ita vt vicissim laborarent, non cantillando, neque sese in eremum recipiēdo, vt postea factitatū est, sed ea exercēdo quæ essent Ecclesiæ vsui, vt ex Dorcadis historia liquet, & ex alio Apostoli loco. Istas porrò, si quidem nubebant, 1. Tim. 5. 12.

4 Act. 9. 32.

5

quid mirum est ex hoc albo fuisse expunctas, quum in maritorum familiam transirent? illas autem non quòd nuberent, sed quòd nubẽtes iam non essent alio subsidio destitutæ, probabile etiam est desiisse ali ex publico, nisi rursum paupertas aliunde premeret. Quorsum hæc igitur aduersus repetitas nuptias?

Quintum. Ne quis autem arbitretur vllam à me iniuriam tãto viro fieri, alium etiam locum ex eadem epistola proferam. Damnauit ipsemet alibi Tertullianum, & quidem meritò, quòd in monogamia prædicãda Montanum sequeretur. Quid si ea ipsa ex Tertulliano ipsemet mutuatur? Hæc enim vtriusque eadem penè verba sunt, eadem sanè per omnia sententia. *Lege sacerdotali tenetur & laicus, qui talem præbere se debet vt possit eligi in sacerdotium. Non enim eligitur si digamus fuerit. porrò eliguntur ex laicis sacerdotes. Ergo & laicus tenetur mandato, per*

Refut. 1. *quod ad sacerdotium peruenitur.* Hoc verò, (vt alia plurima omittam, id est totum penè Tertullianũ repetitum) annõ est omnes velle ad monogamiam cum Montano ob-

2 stringere? Et sanè qui nec secundis nuptiis benedicunt, nec digamos absque pœnitentia recipiunt, non video qui possint à Catharorum errore prorsus immunes videri,

vt

vt pluribus suo loco differemus. Sed de Hieronymo plus satis, cuius sanè nimium multa sunt huius generis, vt & aliorũ multorum, quorum nominibus parco.

Præstiterit ergo non tam quis hoc vel illud dixerit quàm quibus rationibus id confirmetur expendere, quanquam nihil ferè citant præter illa quæ contra Tertullianum initio refutauimus. Refutatio aliorũ argumentorum contra repertas nuptias

Non dixit Adam, vel potiùs Dominus in Adamo, *Et adhærebit vxoribus suis*, sed *vxori suæ*. Concedo, ideóque plures simul vxores habere nefas est. Sed quorsum hæc aduersus eos qui plures successiuè ducunt? nisi fortè putamus cum Montano, ne morte quidem solui coniugij vinculum. Primum. Refutat.

Simili ratione friuolũ illud argumẽtum refellitur, *Duo erunt in carne vna, de primis nuptiis dictũ est, non de secundis*. Sanè de primis concedo, quum ante Adamum nullus homo extiterit. Cõcedo & illud, Adamum vna Eua cõtentum fuisse, quoniam nihil inuenimus in Scriptura quod cõtrarium doceat. Sed de vnis illis dictum id fuisse nemo sanæ mentis arbitrabitur, quia consequeretur vxores secundas non mereri vxorum nomen. Quomodo igitur viduas diceret Apostolus, nubere in Domino? Secũdum. Refutat. Vide 31. q. 1. cap Deus masculum.

Illud verò vix aliqua refutatione indi- Tertium.

get, *Primus Adam monogamus, secundus agamus. Qui digamiam probant, exhibeāt tertium*
Refutat. 1. *Adam digamum, quem sequantur.* Nam quod ad primum Adamū attinet, vnde isti didicerunt oportere nos illi in istis quæ personalia sunt, similes fieri? In eo tamen sanè similes illi simus, quòd non pluribus, sed vni cōiunctus fuit. Sed annon etiam post priorem mortuam ducta vxor secunda, vna est? Quòd si quis cōtinere mauult & potest, cōtineat sané. Sed an Adamus Euæ superuixerit, & ita continuerit, quis nos docebit, aut
2 cur quæramus curiosiús? Secundi autem Adami προσωμοίωσις, in hac quidem vita, posita est in Spiritus fructibus, siue mariti siue cœlibes simus, tātisper dū apparuerit quod sumus, quum similes erimus Angelis Dei.
3 Quid quod si argutari liberet, digamos cēseremus potiùs quàm monogamos, patrē illum credentiū referre? Sic enim ait Augustinus, *Prouisum fuisse hoc exēplo contra hæreticos futuros secūdarum nuptiarū aduersarios.*

August. de Ciuit. Dei, lib. 16. cap. 34. & cōtra aduers. legis, libr. 2. cap 9.

Nemo, inquit Ambrosius, *cum secunda benedicitur.* Et, *Scimus coniugium semel benedici.* At ego morem istum vt & alium quo pœnitentia iniungebatur alteram vxorem successiuè ducentibus, non dubito planè iniquum pronuntiare. Annon enim vna res sunt siue primæ, siue secundæ aut sæpius

Quartum. Refutat. 1.

in

in Dominò repetitæ nuptiæ? Si in Domino nubit vidua, vt & virgo, quo iure recusabitur illi benedictio quæ isti tribuetur? Longè sanè rectiùs & veriùs Augustinus, siue quicunque auctor est libelli de fide ad Petrum. *Si cui primo contigerit priuari coniugio, secundum vel tertium iniens, nullum peccatum habebit.* Et sanè ita est. Quis enim pius dixerit, peccatum ab Apostolo suaderi vt fiat in Domino? Quorsum igitur pœnitentiæ pœnam non peccanti? Idem eôdem libello, *nuptiæ*, inquit, *non tantùm primæ diuinitus institutæ sunt & benedictæ, sed & secundæ & tertiæ, pro eorum qui se continere non possunt infirmitate.* Cui verò benedixit Dominus, in quo nimirum vult viduas nubere Apostolus, quo iure sacerdos benedictionem recusauerit?

2 De fide ad Pet. cap. 3.

3 Ibidem cap. 42.

Sed, inquiunt Sententiarij, *secundæ nuptiæ non sunt sacramentales, quoniam*, ait Durandus, *quum non sint vnæ vnius, aliquem defectum sacramenti patiuntur ad plenam matrimonii Christi & Ecclesiæ significationem.* Atqui, (vt illud ridiculum & millies refutatũ commentum de Matrimonij sacramento nunc non attingam) quum Paulus illius spiritualis sanctorum & Christi coniunctionis velut imaginem dicit in coniugali copula extare, quis istos docuit de primis

Sextum. Lib. 4 sentent. dist. 42. & ibi Durandus.

Refutat.

magis quàm de secundis vel vlterius etiam successiuè progressis nuptiis hoc intelligendum, quum illic in genere de mutua coniugum inter se dilectione manifestè differatur? Annon verò vnus cum vna in
2 secundo vel tertio vel vlteriore successiuo coniugio non minùs quàm in primo copulatur? Quadrarēt igitur ista profectò in veros polygamos, id est qui plures vnà vxores simul habēt, quū vna Ecclesia sit vnius Christi sponsa: aduersus istos autē de quibus nunc agimus, non item. Quid si verò
Mach.13 obiiciam illud Oholæ & Oholibæ repudium? quid si totius Synagogæ diuortium,
Esaiæ 54. Osee 2. & sterilem illam multorum nunc filiorum
Ierem.3. matrem in illius repudiatæ locum ascitam? annon si minutim ista vellemus consectari, (quod tamē esset præter mentem Apostoli) dicere liceret eorum potiùs matrimonia secunda qui repudiata vxore aliam ducunt, plenam Ecclesiæ & Christi significationem habere? Totum igitur istud inane est Matrologorum somnium.

Iam accedo ad illud quod nonnulli pal-
Septimum. marium putant, vt votum viduitatis seruandæ stabiliant. Proferunt enim primo loco
1. Sam. 2. 22 exemplum mulierum quæ ad templi vestibulum excubabant. Sed vtcunque de istis
Refutatio. fabulentur Rabbini, & quicunque alij, nusquam

quam ibi inuenient vllam voti mentionē.

Celebrant quoque Annæ prophetissæ exemplum: quasi verò viduas continentes vituperemus, ac non potiùs laudemus magnopere, si quidem sua viduitate rectè vtantur. Dico igitur nunc quoque continentiæ donum à nobis non minùs quàm ab vllis veteribus, si hyperbolas excipias, prædicari: ac etiam, Deo sit gratia, multo minùs inter nos tolerari quicquid continentiæ repugnat, quàm inter istos quos hodie non pudet de his rebus contra nos disserere. Sed hoc vicissim fatemur, non diuinam, non Ecclesiasticam, sed mirifica Satanæ fraude inuectam videri legem quæ voti istius specie tot animarum myriadas inferis mancipet, vt tristissima tot seculorum experientia comprobauit. Octauum. Luc. 2. 36. Refut. 8. 2

Illud autem est velut vltimum eorum perfugium quòd eas viduas reprehendat Apostolus, quæ fidem primam irritam fecerunt. En enim, inquiunt, fidei, id est promissionis datæ siue voti fit mentio, & quidem inuiolabilis. Atqui primùm omnium hoc illis considerandum erat, non agi hoc loco de quibusuis viduis, sed de iis demum quæ ad certum illud collegium erant allectæ, quod apparet ex verbo καταλέγεσθαι. Isti verò, vt paulò antè ostendimus, sic loquun- Nonum 1. Tim. 5. 18 Refutat. 1.

tur de secundis nuptiis, vt peccatum quidem non esse verbo fateantur, re negent, quum renubentes omnes pœnitentiæ pœna multent. Sed veniamus ad primam
2 istam fidem. Eam verò etiam si concederemus ita vt isti volunt accipiendam, quorsum hoc ad illorum viduas, quæ nusquam sunt? Collegij enim illius viduarum apud ipsos ne vestigium quidem aliquod nunc videas. Et quod ad me attinet, vt fuerit aliquis eorum vsus primis illis temporibus, tamen existimo magnam causam non esse cur de illis instaurandis magnopere laboremus. Itaque inutilis videri posset hæc quæstio, nisi votiuæ istius continentiæ necessitatem nobis propositum esset ostendere nullo prorsus verbo Dei neque præ-
3 cepto neque exemplo confirmari. Dico igitur Fidei nomine nihil esse prorsus quod nos cogat aliud quàm pactum & simplicem promissionem Ecclesiæ factam intelligere. Quænam autem illa erat? ea nimirũ quæ ministerium istud respiciebat, quo sanè defungi non poterant quæ ad nuptias redirent. Pollicebantur ergo se constanter operam suam nauaturas Ecclesiæ, nec ab eis exigebatur votum quo conscientias obstringerent coram Deo, sed simplex pollicitatio suæ fortiter & fideliter tuendæ vocatio-

vocationis. In istis autem tum exigendis tum præstandis pollicitationibus quũ experientia ostendisset grauiter peccari, hanc normam adhibuit Apostolus, vt nulla nisi sexagenaria deligeretur, cuius ordinationis grauissimas rationes affert: nempe quòd iuniores ad luxum & delicias subinde prolapsæ, post varia offendicula, tandem apertè leuitatem suam proderent, deserto contra fidem datam munere, ad secundas nuptias transeuntes, adeò quidem vt nonnullæ quoque interdum à Christo ipso deficerent. Sic ergo isti incommodo prospici voluit Apostolus. quam regulam si posteritas esset sequuta, præter quàm quòd infinitis offendiculis obuiam itum esset, superstitiosum istud perpetuæ viduitatis votum, quod tandem etiam meritorium euasit, & repetitarum nuptiarum turpissimam vituperationem peperit, Ecclesiã non inuasisset. Scio tamen aliter quoque, & commodè quidem explicari primæ fidei vocabulum. Sed quid mihi maximè accommodatum videatur, illud dixi, nempe nihil aliud quàm simplicem pollicitationem Ecclesiæ factam minimè tamen temerè violandam ita significari, sed quæ à solis diaconissis & quidem sexagenariis ex æquo & bono non sanctimoniæ alicuius nedum

meriti, sed ministerij ipsius causa quod obire nuptæ nō possent, exigeretur. Verùm hac de re rursus aliquid in tractatu de diuortiis, Deo fauente, dicemus. Nunc autem ad eam digamiam accedamus, quæ Clero interdicitur.

Digamis non rectè interdici sacrū ministerium.

Digamos, id est, (vt ij interpretantur contra quos nunc disputamus) eos qui plures successiuè vxores, vel etiam vnam, sed eam viduam, duxerunt, adeò iam olim plerique censuerunt indignos esse sacro ministerio, vt eos non modò à sacris ordinibus, putà episcopatu, presbyteratu, diaconatu, ac subdiaconatu, sed etiam ab ipso clero semel excluserint, adeò quidem vt

Hierony. Oceano.

reluctante frustrà Hieronymo, alioqui infensissimo, quoties libuit, nuptiarum hoste eum quidem admittant qui ante baptisma

Obiect. 1.

fuerit quantumlibet scortatus, digamum autē non item. Sit autem hoc quanlibet vetustum, nihilominus tamen iniquissimum

Respons.

esse nec in Ecclesia tolerabile affirmo. Nec enim ea vis est vetustatis, vt quod malum

Obiect. 2.

est, quia vetus est, idcirco bonum euadat. Nec est rursus quod clamitent Patribus ita insignem fieri iniuriam, & illud inane suum *Catholicum* nōnulli nobis obtrudant:

Respons.

Saltem enim semper id dici non potest obtinuisse, quod præter Dei verbum sensim fuisse

fuisse in Ecclesiam inuectum non difficile fuerit demonstrare. Audiamus igitur quas rationes istius moris afferant. Ita enim liquebit an super verum fundamentum ædificarint aurum & argentum, an potiùs fœnum & stipulam, quæ nunc clarus ille dies Domini retexerit, & quasi per ignem consumpserit.

Iactat quidem apertè Synodus Valentina præcepti diuini formam, sub Damaso papa, vel potiùs, vt arbitror, sub Syritio, sed quum ad rem ventum est, tum planè detegitur impostura. Nam hæc demũ ex verbo Dei ab istis proferuntur. Valentin. 1. Synod. cap. 1. Refutatio rationum pro ministerio digamis interdicto.

Cautum fuit in Lege, (inquiunt istius legis defensores qua digami à Clero arcentur) ne Sacerdotes sæpius, id est plus quàm semel nuberent. At si requiras vbinam hoc cautum sit, nusquam sanè neque apud Mosen, neque apud Prophetas, nullo denique sacræ Scripturæ libro inuenias. Ac Tertullianum quidem à paracleto Montani fascinatum istud quoque somniasse non adeò mirandum fuerit. Tertulliani verò vestigia postea sequutos fuisse Syritium & Innocentium primum, homines, vt eorum epistolæ palàm faciunt, blasphemos & insigniter impudentes, quis iure miretur, quum nihil illos puduerit? Quosdam autem sum- Prima. Refutat.

mæ alioqui tum eruditionis tum probitatis viros quis non miretur & ingemiscat in re præsertim tanti momẽti non saltem sacros codices quos quotidie versabãt inspexisse, vt scirent verè istud an falsò citaretur? Sed illa tunc fuit nimirum mendacis spiritus efficacia: & Christianæ Ecclesiæ fatalis calamitas. Hieronymus præ cæteris qua ratione possit excusari certè non video, vt qui in Epistola ad Oceanum, quocunque illam tempore scripserit (tum sanè rectius multo de nuptiis sentiens quàm quum in Iouinianum declamaret) manifestè dicat ipsis etiam sacerdotibus sub lege patuisse polygamiæ, id est plurium simul vxorum habendarum licentiam. Quod si verum est, quis alterum digamiæ omnibus concessæ genus illis interdictum censeat? Et tamen idem ipse ex Tertulliano illud repetit, causæ suæ seruiens.

Secunda. Leuit.2. Proferunt secundo loco legem illam quondam Mosi traditam, qua iubetur sacerdos, nec viduam, nec meretricem, nec prophanatam, nec ab alio ejectam, sed virginem, eámque ex populis suis accipere.

Ezech.44. Refutat.1. quæ lex etiam ab Ezechiele repetitur. Eum autem locum quem vereor vt multi interpretes nondum satis cõmodè exposuerint, placet explicare, priusquã ostendam quan-

topere

topere ab iis torqueatur aduersus quos nũc est nobis agendum. Sic enim ferè solet accipi acsi toti tribui Leui hoc esset præscriptum, quod tamen est præter Legislatoris mentem, vtqui de solis Aaronis posteris expressè differat priore loco, vbi de non ducenda vel meretrice vel prophanata vel eiectitia cauetur. Quod autem additur de vidua non ducenda, sed virgine ne ad omnes quidem sacerdotes, sed ad solum Pontificem Maximum pertinere partim liquet manifestè ex Mose qui disertè hoc habet, partim ex Ezechiele qui solos filios Zadoc, non autem omnes filios Aaron nominat. Additur autem apud Ezechielem exceptio, ad Põtificiam quoque familiam, vt videtur, pertinens, nempe vt viduam quoque ducere liceat, sed ex sacerdote. Obsecro verò quorsum hæc ad digamos, siue viduarum maritos ab omni sacro ministerio prohibendos? Quia, inquiunt, si hoc fuit obseruatum in iis qui tum ministrabant altari, multò magis id requirendum est ab iis qui nunc multo dignius ministerium exercent. Atqui nulla prorsus hîc mentio de nuptiis non repetendis, vel non repetitis. Imò, vt paulò antè diximus, censet ipse Hieronymus sacerdotibus quoque concessum fuisse plures simul vxores Hierony. Oceano.

habere, nedum vt si plures successiuè vxores duxissent, ex sacerdotum numero expungerentur. Deinde viduarum coniugium vni Pontifici Maximo interdicebatur. Itaque etiam si istis daremus ipsorum Clerum tribui Leui successisse, & illa lege nunc quoque Ecclesiam teneri, hoc tamen nihil prorsus illos in hac causa subleuarit. Sed neutrum sanè illis concedimus. Nam quod ad ipsorum Clerum attinet, quæ tandem luci conuenientia cum tenebris? Legem verò Leuiticam præterquàm quòd abrogatam constat, si rursum isti in vsum reuocandam censent, cur illam restringunt tum in diaconis, quos esse volunt alios Leuitas, tum in Episcopis & Presbyteris, quos antiquis sacerdotibus comparant? an quod purius & spiritualius quiddam sit Euangelicum ministerium? Atqui vt cultus Leuiticus præ hoc nostro carnalis fuerit, nihil hoc tamen ad rem, nisi ostenderint labem aliquam vel primis vel repetitis, siue cum virgine siue cum vidua nuptiis contrahi, quæ puritati sacerdotij officiat: quod nunquam sanè ostendent, quum clamat Apostolus honoratas esse in omnibus nuptias, & thorum impollutum.

Tertia. Cur ergo, inquies, virginem, non autem viduam, aut meretricem, aut ab alio repudiatam,

diatam, ducere poterat Pontifex Maximus? Respondeo rursum nihil hoc ad repetitas nuptias pertinere, quum hac lege non veteturPontifex Maximus sæpius coniugium contrahere, modò virginem semper accipiat. Item, ne coniugium quidem sacerdotibus cum vidua sic prohiberi, si modò sit ex alio sacerdote vidua: quod quum ita sit, dico rursum morem istum, quo tum digami tum viduarum mariti (sic enim hos ab illis multi etiam recētiores canones distinguunt) à clero arcentur, nullo iure diuino niti, ac proinde istud interdictum Apostolicæ ipsi doctrinæ ex diametro repugnare. Sed ad rem. Cur virginem ducere iuberetur Pontifex Maximus tres causæ à Philone afferuntur. Vna, vt sacrum semen aruo intacto exciperetur: altera, ne huius natales cum aliis familiis miscerentur: tertia, vt faciliùs sacerdotum moribus accommodaretur. Ego nullam ex his causis probo. Nam quod ad primam atttinet, illam non valere vel ex eo apparet quòd licebat etiam sacerdotibus extra Pontificem Maximum viduam ex alio sacerdote ducere. Secunda verò falsa etiam est, quum expressè dicat Moses licuisse Pontifici Maximo virginem ducere *de populis suis*, id est, vt interpretatur Ezechiel, de semine domus Israel, quod

Refutat. 1.

2

3

Philo libro de Monarchia.

alioqui aliis tribubus non licebat, ne confunderentur singularum tribuum hæreditates: vnde etiam factum, vt Elisabeth & sacerdotis vxor & Mariæ cognata esset. Illud verò tertium prorsus commentitium est, nec refutatione indiget. Vera autem causa hæc est proculdubio, quòd Pontifex Maximus venturi Christi & spiritualium Ecclesiæ cum Christo nuptiarum peculiaris typus esset. Vmbras autem istas omnes iam desiisse, quum corpus ipsum obtineamus, ac proinde manifestè Iudaizare qui hæc & alia eiusmodi in vsum reuocant, quis ignorat? At enim, excipiet aliquis, Paulus hoc ipsum in nostris quoque matrimoniis significari dicit. Imò verò si diligenter Paulum inspicias, cõperies istud μυστήριον (quod nomen vetus Latinus interpres solet Sacramentum interpretari) non in coniugiis nostris, sed in Christi & Ecclesiæ copulatione merè arcana statuere. Sed ita esto. Si tamen hoc ad solas virginum nuptias retuleris, non modò perperam idcirco feceris, quòd hæc similitudo in eo posita sit quod quibusuis coniugiis commune est, nempe quòd duo fiant vna caro: sed ideo etiam, quòd illud quoque Apostoli, *Viri, diligite vxores vestras* (quò tota hæc sententia refertur) res ipsa clamet omnibus sine exceptione

Obiectio.

Responsio.

ptione maritis præcipi. Deinde ne hanc quidem analogiam esse subtiliùs indagandam, vt singula singulis respondeant, vel illud manifestè declarat, quod de repudiata & alteri nupta, & nihilominùs iterum contra legem recipienda dicit apud Ieremiam Dominus. Ac de virgine quidem & vidua hactenus. Quòd autem ad prophanas, id est (vt interpretatur Philo) infamibus parentibus prognatas, & ad meretrices attinet, nemo non videt ideo eiusmodi mulierum coniugium sacerdotibus fuisse sub lege interdictum, ne quod earũ probrum ad illos vsque redundaret. Quòd si quis roget an hanc quoque legis partem abolitam fuisse existimem, respondeo, quũ hæc ratio nunc quoque valeat, aliter de istis, id est, de probrosis mulieribus statuẽdum quàm de virgine aut vidua: idque nõ quòd olim ita fuerit cautũ in sacerdotio Leuitico (quod iam abrogatum est) sed quoniã res ipsa clamat fieri vix posse, quin si eiusmodi probrosæ famæ mulieres ducãtur, aliquid detrahatur ministerij dignitati, cuius quanta sit habenda ratio vel illud declarat quòd Apostolus in familiam quoque Episcopi vult inquiri. Absit tamen vt hac in re sine exceptione probem summam illam Canonum quorũdam seueritatem: absit, inquam, vt Phari-

Ierem. 3.1.

Refut. 4.

Tit. 1.7.

fæum illum imitemur qui præ se peccatricem illam multum diligentem damnabat, ne fortè illud audiamus ex ore Domini, Publicani & meretrices præcedent vos in regnum cælorum. Matthæus certè factus est Apostolus & Euangelista ex publicano. Nostri autem Catholici, belli sanè homines sunt, & seueri scilicet Canonum obseruatores, quibus intolerabile quidem flagitium esset honestissimæ etiam matronæ, nedum cuiuspiam quantumuis pœnitentis mulieris maritum sacris initiare, infames autem omníque libidinum genere contaminatissimos non item, modò ne maritos, quum vix tamen alios, testibus ipsorum historiis, inter decem seculorum Pontifices inuenias. Postremò quod ad repudiatam attinet, quum repudia nunquam fuerint in foro conscientiæ, vt vulgò loquuntur, probata, (adeò vt manifestè dicatur qui sic repudiatam ducat, adulterij reus esse coram Deo) non mirum est sacerdotibus, quos oportuit honestate vitæ cæteris prælucere, interdictas repudiatæ nuptias, quod in cæteris non nisi ob duritiem cordis, ciuilibus legibus tolerabatur.

Quarta. Hieron. ad Gerōtiam. Profert etiam Hieronymus quod ait institutum quoque fuisse in Lege, nempe vt maritatæ

maritatæ filiæ sacerdotum, si viduæ fierent, vescerentur sacerdotalibus cibis: sin autem alios viros accepissent, alienæ fierent à patre & sacrificiis, & inter externas deputarentur. Atqui ne hoc quidem satis bona fide citat ille, siue memoria fretus, siue, vt alibi nimium sæpe factitat, causæ suæ seruiens. Nec enim aliud ibi constituit Moses, quàm vt filia sacerdotis, quæ extra tribum suam enupserit, extranea censeatur, ac proinde vesci oblationibus non possit: quia nimirum in extranei familiam transierat, aliis autem quàm sacerdotibus non licebat sacris cibis vesci. Quòd si fuisset repudiata, aut, defuncto marito, absque liberis relicta (nam alioqui mansisset adhuc in extranea familia) tum ei ad suos reuertenti licebat rursum, vt ante nuptias, apud patrem sacris vesci: in cuius videlicet familia rursus censeretur. Nulla autem apud Mosen vel primarum vel secundarum nuptiarum mentio.

Refutat. 1.

Leuit. 22. 11.

Citant denique illud Pauli de Episcopis & Diaconis, *Vnius vxoris virum*, qui locus triplici modo torquetur. Allegoriam enim illam, quæ vxoris nomine Ecclesiam intelligit, vt ab ipsomet Hieronymo refutatam, omitto. Placet ergo quibusdam istud de eo accipere qui fuerit, non autem qui sit ma-

Quinta.

1. Tim. 3. & Tit. 1. 6.

Hiero. lib. 1. aduersus Iouinian. ritus. *Vnius vxoris virum*, inquit Hieronymus, id est, *qui vnam vxorem habuerit, non habeat.* Nec illud Ambrosij dissimile est, *Habentem filios dixit Apostolus, non facientem.* Sed huic depravationi opponenda est simplex veritas, quam confirmauit Nicæna Synodus in Paphnutij sententiam transiens: vbi etiam lex illa NOVA vocatur, qua volebant nonnulli statuere, vt sacris initiati à

Ambrosi. epist. 82. Refutat. 1.

2 coniugibus suis abstinerent. Itaque ne altera quidem absurda interpretatio admitti potest, quantumuis magnis authoribus (sed in hac re quidem plane tum à verbo Dei, tum ab antiquæ Ecclesiæ iudicio aberrantibus) nitatur: quæ videlicet hoc dictum Apostoli interpretatur de iis qui vxores quidem habeant, sed à quibus ex mutuo consensu abstineant, cuiusmodi vota prorsus fuisse vetustæ Ecclesiæ incognita suo loco declarauimus. Nec sane in hoc excusari potest Epiphanius (quod tanti viri pace dixerim) quum audet etiam Canonum authoritatem prætexere, quos tamen non edit. Quos enim edidisset, qui Nicænæ & Gangrensi Synodo manifeste hac in re contradicit? Ita verò scripsisse Epiphanium nemo mirabitur, qui obseruarit Ambrosium ausum etiam esse scribere, Patres in Nicæno Concilio addidisse, Clericum

Ambrosi. epistola ad Vercellenses 82.

quenquam

quenquam esse non debere, qui secunda coniugia sortitus sit, in quo sanè est periculosè hallucinatus: nisi de iis hoc accipiat qui duas simul vxores habeant. Itaque multò rectiùs posteà synodus sexta vniuersalis ecclesiam Romanam coarguens, illam obiurgat, quòd istam continentiæ legem obtruderet ἐν τάξει κανόνος, id est, vice Canonis, & tanquam Canonem: quod sanè falsum erat, vt planè mirer Espensæum ex illis ipsis synodi sextæ verbis, quibus Romanæ ecclesiæ tyrannis & impostura coarguitur, aliquam eius excusandæ occasionem arripere potuisse. Tertia denique huius loci 4 deprauatio eorum est qui vnam vxorem accipiunt pro prima, quasi qui plures successiuè duxit, ab Episcopatu arceatur, quam sententiam sequutus quidem videtur Chrysostomus in Epistola ad Titū, sed in altero Epistolæ ad Timotheum loco de Polygamiæ Iudaicæ prohibitione rectè accipit: quam interpretationem amplectitur quoque Theodoretus, nonnihil tamen fermenti de voto admiscens. Quum autem manifesta sint Apostoli verba, quid attinet nodum in scirpo quærere? Cur non enim 5 potiùs πρώτης quàm μιᾶς scripsisset Apostolus? & quæ tandem in secundis successiuis nuptiis labes inest vel macula, quæ

3 Synodi in Trullo, can. 12. Espēs. lib. de Contin. primo cap. 4.

quempiam Episcopatu indignum reddat? Rationes tamen, quas hîc nonnulli præte-
6 xunt, mox etiam expendemus. Nunc hoc dico, planum & penitus perspicuum esse quod scribit Apostolus, quum qui secundam aut tertiam, & sic deinceps, vxorem duxit, modò ne plures simul habeat, tam sit vnius vxoris vir, quàm cui necesse non fuit prima mortua aliam ducere. Et ita etiam sentire puriores scholasticos coegit ipsa veritas, vt mox ostendemus.

Obiectio 1. Expendamus autem etiam quæ ab istis opponuntur. Primùm quærunt cur illud verbum OPORTET vsurparit Apostolus, quum ex eo videatur consequi (si quidem hunc locum ita vt diximus interpretemur) non posse alios quàm maritos episcopari.

Respons. 1. Respondeo, non solui hunc nodum etiam si in istorum sententiam transeamus, qui de alio genere digamorum hæc intelligũt. Verum est autem quod à nostris quoque non semel responsum est, spectasse Apostolum quod consuetudo illorum puriorum temporum ferebat, nempe vt qui adoleuerant, mariti essent, ac proinde de vnica vxore & honestate familiæ non alia formula quàm de reliquis virtutibus statuisse: quum tamen certum sit nec ἀγάμους verè continentes, neque ἀπείρους propterea excludi.

Obii-

Obiiciunt præterea eiusdem Apostoli alterum locum, in quo iubet non aliam deligi viduam quàm quæ vnius viri vxor fuerit: quæ verba ad illam polygamiam trahi non possunt, quum nullis vnquam legibus licuerit fœminis plures simul maritos habere. Hoc ego verò ita esse fateor: sed consequi tamen nego, quin vtrobique eadem digamiæ species (quanuis non per omnia similis) prohiberi intelligatur, atque adeò quin eadem interpretatione locus vterque exponatur. Vult enim Apostolus non eligi episcopum nisi qui vnica muliere, & quidem vxore, sit contentus: vult quoque non referri in viduarum album viduã nisi quæ vno viro & quidem marito, sit vsa. His autem verbis à sacro ministerio non alios arceri dico quàm primùm quidem turpis & flagitiosæ vitæ tũ viros tũ mulieres: deinde etiam δίγαμους, id est, tum qui plures simul vxores haberent, tum quæ pluribus simul maritis vsæ essent. Hoc autem posterius ne cui mirum videatur, sciendum digamiæ quoddam genus fuisse tum viris tũ mulieribus commune, quum videlicet illi quidem repudiatis aliam ob causam quàm ob adulterium vxoribus, alias illis superstitibus ducebant: istæ verò vicissim temerè discedentes à suis maritis, ad alias nuptias

Obiectio. 2 Tit. 1. 6.

Respons. 1.

transibant. Hinc illa vetus lex Mosis, ne sacerdoti liceret meretricem aut repudiatã ducere, de qua paulò antè diximus. Hinc & illud Pauli, Vxor à viro ne discedito: quòd si discesserit, maneat innupta, aut viro reconciliator: & vir vxorẽ ne dimittito. Fuisse autem ipsis etiam mulieribus hoc flagitium minimè ne Romæ quidem nedum in Græcia insuetum, vel ipse Iuuenalis hoc peruulgato versiculo testatur.

—sic fient octo mariti
Quinque per autumnos.

Sed de his hactenus.

Hæc sunt igitur quæ pro tuendo illo suo interdicto citare vel potiùs manifestè detorquere ex Propheticis & Apostolicis scriptis iam olim consueuerunt. quo fundamento quum destituantur, causa fortasse non erat cur vlterius progrederemur. Placet tamen tum veteres ea de re Canonas, tum veterum quorundam Patrum argumenta expendere, ne temerè videamur ab iis, quos falsò nonnulli Catholicæ Ecclesiæ nomine exornant, dissentire. Sic igitur habet Canon Apostolicus, vt vocant, 17,

Veterum Canonum in quibus de digamis agitur, cõparatio cũ Deiverbo.

Apost. Canon. 17.

Ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκο-

νος

νος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Id est,

Qui duplici coniugio post baptismum fuerit implicitus, aut pellicem possederit, non potest esse episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut prorsus ex sacerdotali catalogo.

Et decimus octauuus, Ὁ χήραν λαβὼν, ἢ ἐκβεβλημένην, ἢ ἑταῖραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ τὴν ἐπὶ σκηνῆς, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ. Id est, Apost. canon. 18.

Qui viduam acceperit aut repudiatam, aut meretricem, vel ancillam, vel scenicam, non potest esse episcopus, aut presbyter, aut prorsus ex sacerdotali catalogo.

Libet autem etiam subiicere hæc eadem, sed paulò pleniùs scripta, ex illo libro quē & Grecè & Latinè nunc ediderunt Clementi episcopo Romano inscriptum, cui titulum fecerunt, Διαταγαὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων. Ἐπίσκοπον καὶ πρεσβύτερον καὶ διάκονον εἴπομεν μονογάμους καθίστασθαι, κἂν ζῶσιν αὐτῶν αἱ γαμέται, κἂν τεθνᾶσι. μὴ ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς μετὰ χειροτονίαν ἀγάμοις οὖσιν ἔτι, ἐπὶ γάμον ἔρχεσθαι, ἢ γεγαμηκόσιν, ἑτέραις συμπλέκεσθαι, ἀλλ' ἀρκεῖσθαι ᾗ ἔχοντες ἦλθον ἐπὶ τὴν χειροτονίαν. ὑπηρέτας δὲ Clem. lib. 6. can. 17.

καὶ ψαλμῳδοὺς, καὶ ἀναγνώστας, καὶ πυλωρὰς, καὶ αὐτοὺς μονογάμους εἶναι κελεύομεν. εἰ δὲ πρὸ γάμου εἰς κλῆρον παρέλθωσιν, ἐπιτρέπομεν αὐτοῖς γαμεῖν εἴ γε πρὸς τοῦτο πρόθεσιν ἔχουσιν, ἵνα μὴ ἁμαρτήσαντες κολάσεως τύχωσιν. οὐδενὶ δὲ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ κελεύομεν ἢ ἑταῖραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ χήραν καὶ ἐκβεβλημένην λαμβάνειν, ὡς καὶ ὁ νόμος λέγει. Id est,

Episcopum & presbyterum & diaconum dicimus vnius vxoris viros debere constitui, siue viuant eorum vxores, siue mortuæ fuerint: non licere autem ipsis, si post ordinationem cõiugii expertes fuerint, ampliùs ad nuptias deuenire: vel si mariti fuerint, cum aliis iungi, sed ea contentos esse quam habentes ad ordinationem peruenerunt. Ministros autem & Cantores, & Lectores, & Ianitores, iubemus quoque vnius vxoris viros esse. Quòd si antequam matrimonio iungerentur in clerum prouecti sint, concedimus eis vt vxores ducãt, ne si peccarint, pœnas luant. Iubemus verò vt nulli ex clero liceat vel meretricem, vel seruam, vel viduam & repudiatam accipere, sicut & lex ipsa dicit.

Clem. lib. 3. can. 2. Non omittenda quoque alia ex eodem libro διαταγὴ, quæ sic habet, Αἱ δὲ νεώτεραι

χῆραι

χῆραι εἰς χηρικὸν μὲν μὴ ἐνταττέσθωσαν, μή ποτε προφάσει τοῦ μὴ δύνασθαι κρατεῖν τῆς ἀκμῆς, ἐπὶ δετερογαμίαν ἐλθοῦσαι, ἐν πράγματι γενώνται. ἐπικουρείσθωσαν δὲ καὶ βωηθείσθωσαν ἵνα μὴ προφάσει τῶν λείπεσθαι, ἐπὶ δευτερογαμίαν ἐλθοῦσαι, ἐν πράγματι ἀπρεπεῖ ἐνεσχεσθῶσι. Καὶ τοῦτο γὰρ εἰδέναι ὀφείλετε, ὅτι μονογαμία μὲν κατὰ νόμον γινομένη, δικαία, ὡς ἂν κατὰ γνώμην θεοῦ ὑπάρχουσα. διγαμία δὲ μετὰ ἐπαγγελίαν, παράνομον, οὐ διὰ τὴν συνάφειαν, ἀλλὰ διὰ τὸ ψεῦδος. τριγαμία δὲ ἀκρασίας σημεῖον. τὸ δὲ ὑπὲρ τὴν τριγαμίαν, προφανὴς πορνεία καὶ ἀσέλγεια ἀναμφίβολος. ὁ γὰρ θεὸς μίαν γυναῖκα ἑνὶ ἀνδρὶ δέδωκεν ἐν τῇ δημιουργίᾳ. ἔσονται γὰρ οἱ δύω εἰς σάρκα μίαν. νεωτέραις δὲ μετὰ τὴν τοῦ πρώτου τελευτὴν συγκεχωρήσθω καὶ ὁ δεύτερος, ἵνα μὴ εἰς κρίμα τοῦ διαβόλου ἐμπέσωσι, καὶ παγίδας πολλὰς, καὶ ἐπιθυμίας ἀνοήτους, καὶ ἐπιζημίους ψυχαῖς. αἵτινες κόλασιν προξενοῦσι μᾶλλον ἢ ἄνεσιν. Id est,

Viduæ iuniores (nimirum annis sexaginta, vt paulò antè dictum fuerat) *viduarum collegio ne accensentor, ne eo obtentu quòd ætatis vigorem coercere nō possint, ad secūdas nuptias*

εἰς τὸ χηρικὸν, ꝑ quo malè Bouius viduale statū.

prolapsæ, negotium facessant. Subueniatur tamen illis & necessaria suppeditētur, ne se " deseri prætexentes, & ad repetitum coniugium deuenientes, indecorum quippiam admittant. Nam hoc quoque scire vos oportet, monogamiam quidem ritè initam, iustam esse, vtpote Dei voluntati congruentem: digamiam autem, post pollicitationem, illegitimam esse, non propter coniunctionē ipsam, sed propter falsitatem. Trigamia verò est incōtinentiæ signum. Quod verò vltra trigamiam est, manifesta est scortatio, & certa lasciuia. Deus enim vnicam mulierem vnico viro adiunxit. Erunt enim, inquit, *duo in carne vna. Iunioribus autem post primi mariti obitum conceditur præterea secundus, ne in iudicium diaboli, & laqueos multos incidant, & cupiditates amentes ac animis damnosas, ex quibus pœna potiùs sequatur, quàm voluptas concilietur.*

Idem pro λείπεσθαι perperam legit λύπεσθαι.

Ad Canonas Apostolicos in genere.

His verò antequàm sigillatim respondeam, primùm dico iam olim esse de istorum Canonum numero & authoritate dubitatum: nec posse negari ab Apostolis editos non esse, quum (vt alia omittam) quorūndam decisiones contineant, de quibus nunquam aliquot pòst seculis tam acriter in Ecclesia certatum esset, ac etiam aliter postea statutū, si tum isti Canones vel editi, vel certè recepti ab Ecclesiis fuissent. Huius

ius autem rei Canon etiam iste 17. certum nobis testimonium præbet. Cur enim ista particula, μετὰ τὸ βάπτισμα, addita est, nisi vt significetur in isto interdicto nō censeri, qui ante Baptismum plures vxores habuerint? Hoc verò si Apostoli tam perspicuè deciderant, cur hoc taceret Hieronymus hanc sentētiam tot argumentis communiens, & quî postea transitum potiùs esset in cōtrariam Ambrosij & Augustini sententiam? ac ne id quidem satis rectè, vt arbitror. Mihi verò maximè probabilis videtur eorum opinio, qui coniiciunt aliquanto post Apostolorum tempora, siue à Clemēte, siue ab alio quopiam, eius quæ tum vigeret Ecclesiasticæ politiæ regulas aliquot colligi cœpisse, quarum postea paulatim auctus fuerit numerus: sed priuatum fuisse hoc scriptum, nec publicæ vllius auctoritatis, donec paulatim obtinuit vt publicè legeretur, quoniam vtile Ecclesiæ compendium istiusmodi videbatur. Apostolicos autem fuisse istiusmodi Canonas vocatos, verisimile est, non vt ab ipsis Apostolis editos (fuisset enim primis illis tēporibus nimium crassum hoc mendacium) sed quòd in Ecclesiis quas Apostolicas vocabant, antiquitate videlicet ac proinde auctoritate primas, obtinerent. Sed ipsas etiā Apostolicas

Hieron. ad Oceanum, tom. 2.

Ecclesias nimium facilè in ipsa quoq; doctrina, nedum in ritibus, fuisse deprauatas, quis ausit inficiari, quum id ita futurum Apostolus ipse non modò prædixerit, sed etiam suo ipsius seculo in Galaticis præsertim & Achaicis Ecclesiis sit expertus? Illas porrò διαταγὰς ita etiam consarcinatas, vt illi Canones videri possint quædam esse istarum epitomæ, Clementi nescio cui sese Romanum tum Episcopum tum ciuem admodum ambitiosè vocanti attributas, mirarer hoc seculo inueniri posse qui defendere auderet, nisi res ipsa ostenderet nihil nunc homines pudere. Nam certè iis scatet vanissimis mendaciis, ita etiam inter se repugnantia quædam continent, denique ita possunt & ex Apostolicis scriptis, & ex historia Ecclesiastica refelli, vt nulla iusta ratione defendi posse mihi quidem videatur: sicut aliquando fortasse pleniùs propria de his rebus tractatione demonstrabo. Posset igitur vno verbo res tota trãsigi, si excipe-rem non satis idoneos testes ab aduersariis proferri. Sed ne quis à nobis quæsitum subterfugium arbitretur, agè sigillatim etiam respondeamus.

Ad Canon. 17. Canone 17. prohibentur numero Sacerdotum, id est, eorũ qui publico in Ecclesia munere sacro funguntur, adscribi qui post Bapti-

Baptiſmum duplici cõiugio fuerint impliciti. Rectè hoc quidem, & ex Apoſtoli ſententia, id eſt, expreſſo Dei verbo. Nego enim de aliis quàm veris & propriis ſic appellatis bimaritis intelligi, de iis nimirum qui, vt tunc tempora ferebant, plures ſimul vxores haberẽt, ſiue vna temerè repudiata, aliam ea ſuperſtite ducebant. Id autem ita eſſe (quanuis alia poſtea expoſitio obtinuerit) vel illud oſtendit quod de pellice ſubiicitur: nimirum ne quis quod de duplici cõiugio dictum erat, eluderet, ſi ſe pellicem duntaxat diceret ſuæ legitimæ coniugi adiunxiſſe. Nec enim παλλακὴν propriè quãuis cõcubinam declarat, ſed eam demum quæ iuſtæ vxori ſit adiuncta.

In altero Canone dico pro ἢ ἐπιβεβληκέναι, legẽdum eſſe καὶ ἐπιβεβληκέναι: idque non tantùm illius Clementis (quicunque tãdem ſit) auctoritate, verùm etiam ipſius Gratiani teſtimonio euinco, ita videlicet vt ſignificetur hoc interdicto non quaſuis viduas intelligi, ſed eas demũ quæ miſſo à marito repudio viduæ haberentur. Sic enim Ariſtophanes Græcus grammaticus χήρας definit, non modò quæ mariti morte vxores eſſe deſiiſſent, verùm etiam τὰς μὴ γάμῳ διαλυσὶν μηδενὶ συνοικοῦσας: quò fortaſsis alluſit Apoſtolus quũ τὰς ὄντως χήρας καὶ μεμονωμένας

Ad Can. Apoſt. 18.

34. Diſtin. Si quis viduam.

1. Tim. 5. 5.

describeret. Est autem hoc interdictum expressè quoque & ab ipso Christo & ab Apostolis traditæ doctrinæ prorsus consentaneum, quum disertè dicat Dominus, eũ esse adulterij auctorem qui ab alio (excepta videlicet adulterij causa) repudiatam ducat, quæ corruptela passim tunc regnabat: & præcipiat ex Domini Spiritu Apostolus, vt istæ desertrices aut viris reconciliẽtur, aut innuptæ permaneant. Nõ ignoro tamen apud Mosen viduæ nomen virgini opponi, & à repudiata manifestè distingui. Sed quid si probabile est, istius Canonis auctores siue ex Apostolicarum Ecclesiarum more, siue ex suo sensu illũ scripserint, hîc quoque Mosis legem ita vt oportuit relaxasse, sicut & alibi in iisdem Canonibus ritè factum est? Alioqui, si ista exigere ad Apostolicorum scriptorum regulam non licet, sequamur sane illud Apostolicum mandatum. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema esto.

Leuit. 21. 7.

Canon. Apost. 21. & 76.

In illo verò priore Clementis Canone, qui est illius vtriusque veluti commentarius, illa tanquam Apostolica recipimus, quòd monogami soli admittãtur, siue prius mortuæ, siue adhuc superstites fuerint vxores, quod Romani Papæ siue Antichristi postea vt impium damnarunt, adeò vt ad damnan-

Ad Canon. Clem. priorem.

damnandum hunc Clementem, cui se successisse quoties libet gloriantur, non aliis quàm ipsismet iudicibus egeamus. Item, quòd maritis ordinatis alteras nuptias interdicit, quum nulli Christiano, nedum Ecclesiastico munere fungenti cuipiam, fas sit plures simul vxores habere: & illud quoque probo, quòd turpium mulierum coniugio implicitos à sacris functionibus prohibet, ne videlicet earum dedecus in ministerium ipsum redundet. Idem de repudiatis mulieribus statuo, quia si temerè, id est, aliam ob causam quàm ob adulterium repudiatæ sint, reconciliationi studeant, vel innuptæ maneant oportet ex Apostoli doctrina: quæ de re tamen pleniùs alibi differemus. Sin verò iure sunt repudiatæ, rectè cautum est ne eiusmodi turpitudo sacri ministerij dignitati detrahat. οἰκέπδος verò nomen video dupliciter accipi posse ex Græcæ linguæ vsu: nempe vt eo nomine vel concubinam intelligamus, quæ ita honestiore vocabulo quasi σύνοικος vocatur (vt etiam à Latinis contubernij & consuetudinis nomen vsurpatur) vel seruilis conditionis fœminam. Illi verò interpretationi cur potiùs quàm huic assentiar, duo faciunt. Primum enim lex Mosis, cuius sit in extremo Canone mentio, præter viduam, meretricem

& repudiatam, adiicit etiam חללה, id est *profanam*, quæ videlicet non sit publicum scortum, neque tamen legitimè coniuncta, siue vt iusta materfamilias, siue vt פלגש, (quam propriè Latini concubinam vocarunt) ac proinde profana: cuiusmodi sunt quas hodie Romanus clerus solutas amicas vocat. Deinde nisi ita interpreteris, non video qui possimus hunc Canonem vt Apostolicum, in hac quidem parte admittere, nisi eam intelligas quæ absque domini cõsensu nupserit. Nam alioqui quum Onesimum, non modò seruum, sed etiam fugitiuum, non minùs honorifico nomine quàm Timotheum ipsum dignetur, filium illum & fratrem appellans, adeóque cum Tychico coniungens: vix mihi probabile est illum, quòd olim seruus fuisset, excellentibus alioqui donis præditum, ministerio indignum fuisse pronũtiaturum, nedum vt id in eo statueret qui ipse ingenuus ancillam aut libertinam duxisset: quod discrimen potiùs iuris Ciuilis Romani fuerit quàm Ecclesiastici ac verè Christiani. Iã verò quòd cœlibes ad maiora illa munera vocatos nõ sinit matrimonium contrahere, quo modo explicandum sit suprà docuimus, nẽpe non vt eiusmodi nuptiæ tanquam illicitæ pronuntientur, neque etiam vt aliqua in illis pollutio

pollutio ineſſe ſignificetur, quod poſtea nonnulli non rectè ſenſerũt: ſed quòd cœlibes miniſtri, partim vt huius vitæ negotiis minùs occupati, ſicut Apoſtolus docet, partim vt Eccleſiam minore ſumptu grauantes, maritis anteponerentur. Quòd autem legem Moſis citat quaſi adhuc illa teneamur, aut ſic intelligendum eſt vt paulò antè diximus, aut vt Iudaicum fermentum potiùs repudiandum, nedum vt tanquam Apoſtolicum recipiatur.

Ad Clem. Canon. posteriorem.

Supereſt aliud Caput ex eodem libro à nobis deſcriptũ, cuius prior pars de viduis iunioribus non allegendis, non poteſt non vt Apoſtolica probari, quum ex Apoſtolo ſit manifeſtè deſumpta. Sed ne illud quidem improbo, quòd repetitum cõnubium nõ ſine pollicitationis (id eſt ἐπαγγελίας, non autem ὄρκου, id eſt voti) violatione contractum, πρᾶγμα ἀπρεπὲς καὶ παράνομον, id eſt rem indecoram & illegitimam, appellat: quatenus videlicet violabatur fides ſiue promiſſio illa qua ſeſe non ad cœlibatum, ſed ad Eccleſiæ miniſterium conſtanter obeundum adſtringebant. Id autem ita eſſe verba ipſa oſtẽdunt: NON, inquit, PROPTER CONIVNCTIONEM IPSAM, SED PROPTER FALSITATEM, id eſt, non quia nupſerint, ſed quia nubendo tranſgre-

diuntur quod pollicitæ fuerant, se videlicet Ecclesiæ ministraturas. Nec enim temerè est quòd quæuis viduæ non recipiebantur, sed eæ demum quas esset probabile in ministerio perseueraturas, ac proinde continentiæ dono præditas. Esset autem proculdubio ipsa matrimonij coniunctio damnanda, & (vt postea perperam de his rebus iudicatum est ab hominibus falsa voti opinione fascinatis) coniugium ipsum necessariò dirimendum, si quod tunc iustum votum seruandæ viduitatis extitisset. Quid si verò quispiam excipiat tacitè saltem exactam fuisse tuendæ viduitatis fidem, quum id promitteretur quod non nisi seruata viduitate præstari posset? Fatebor quidem ego ita esse, quauis inter id quod tacitè siue ex consequenti duntaxat, & quod expressè directéque promittitur, magnum sit discrimen: ideóque Apostolum dico vt istis vanis plerunque pollicitationibus (sicut res ipsa postea probauit) occasio præcideretur, rectè cauisse ne viduæ sexagenariis minores in sacrarum viduarum album referrentur. Earum autem quod munus fuerit, ex iis li-
Act. 9. quet quæ de Dorcade in Actis Apostolicis referuntur: vt eos qui ista nobis nunc obtrudunt, quasi sint ipsi veteris disciplinæ vindices,

vindices, siquid frontis habent, sanè in his saltem erubescere oporteat. Sed ad rem redeo. Ista quidem in hoc Canone vt Apostolica non modò non improbamus, sed etiam ab aduersariis, si quidem restituta volunt Viduarum collegia, in primis exigimus. Verùm quæ subiiciuntur quis sanæ, id est, Apostolicæ fidei homo non damnarit? *Trigamia*, inquit, *est incontinentiæ signum*. Esto. nam primæ etiam nuptiæ hoc plerunque arguunt, quum tunc ætas maximè vigeat, & propter scortationem quoque oporteat vnamquamque suũ maritum habere. Abstinere verò se à coniugio non posse (id enim est, opinor, hoc loco incontinentia) vitium per se non est, excepta ἀταξίᾳ, quum naturalis sit illa appetitio, & continentia sit peculiare Dei donum: sed quum continere non possis, turpia facere, id demum vitiosum est, quod in eas non cadit quæ quoniam continere non possint, nubere malunt quàm vri, quotiescunque id faciant. Quod autem subiicitur, cuiusmodi tandem est? *Quod vltra trigamiam est*, inquit, *manifesta est scortatio, & certa lasciuia*. Ergo quæ quarto nupserit, scortatrix fuerit? ergo quartum coniugium dirimendum? Quid si quæ in ætatis flore tertium coniugem amiserit, nec con-

tinentiæ donum habeat? Istorum certè, vt paucis absoluam, non est auctor ille Spiritus qui per Apostolum nihil tale definiit, sed ille ipse Montani paracletus, qui non Tertullianum modò, verùm etiam alios deinceps plurimos miserè fefellit: ac inter cæteros Basilium quoque hæc eadem inculcantem, si modò (quod mihi probabile non est) eos Canonas edidit qui ipsius nomine quasi ad Amphilochium scripti circunferuntur, & ab aliis quoque (Græcis etiam) hoc nomine citantur. Quid plura? hunc ipsum Canonem non ita pridem cõcilium Florentinum sub Eugenio quarto planè aboleuit, vt Espenseus ipse obseruat. Controuersiæ autem illæ hac de re postea inter hypocritas illos Constantinopolitanos Patriarchas & aliquot Imperatores excitatæ, Cesaribus ipsis, prout ferebat eorum leuitas, modò in hanc, modò in illam partem nutantibus, à quo spiritu ista profecta sint, satis superque probant, vt longiore refutatione non sit opus. Quod enim ex Dei verbo profert iste Clemens, valere non potest nisi aduersus eos qui plures simul vxores habent: vt suo loco aduersus Tertullianum hoc ipso argumento vtentem probauimus. Nam alioqui certè sentiendum erit ne morte quidem dissolui coniugij

Cõcil. Flo. definitio 10, in epitome. Concil. Photius. Nomocanonis tit. 13. & ibi Balsamon.

coniugij vinculum, si plures vxores habere, ac proinde in ordinationem Dei peccare existimabimus qui mortua vna aliam ducit. Sed quid si hoc etiam isti cuicunque Clementi daremus? certè consequeretur, digamos etiam ipsos aduersus legem Dei facere. Qua fronte igitur digamos tolerat, trigamos verò damnat, tetragamos denique in album scortatorum refert? *Ne*, inquit, *in diaboli iudicium & laqueos multos, & amentes cupiditates incidant.* Egregia sanè ratio, tolerare legis diuinæ transgressionem, vt diaboli laqueũ effugias. Imò quum etiam tertio, non minùs quàm secundo mortuo marito, vri possit qui continentiæ donum non habet, quis est iste Apostolorum scilicet discipulus, qui remedium aduersus incontinentiam disertis Apostoli verbis expressum, miseris conscientiis ausit adimere? Itaque longè rectiùs Hieronymus ipse, alioqui prorsus quum libuit Montanizans, ne octogamos quidem damnare se testatur: minimè certè ita scripturus si pro scortatoribus habuisset. Quid si igitur ista dicamus non de quibusuis viduis, sed de iis tantùm accipienda quæ sacro ministerio fungebantur? Atque nè ita quidem possit iste scriptor excusari, quum ne secundus quidem maritus istis, salua ma-

nente ipsarum pollicitatione, concedi potuerit. Sed vnde sit error iste exortus non ita difficile est coniicere. Quum enim initiò gentibus sensim ad Christum transeuntibus, multi in Oriente, ac præsertim inter Iudæos ipsos, polygami deprehenderentur, quos si quis coegisset vxores omnes præter primam abiicere, multis fuisset pessimè consultum, quòd ea corruptela ita esset inueterata, vt vitio non duceretur: idcirco paulatim hac in re progrediendũ fuit. Itaq; à Paulo fuit illud in primis cautũ, vt omnis ordo Ecclesiasticus ista labe careret. Qui enim potuissent polygamiã in aliis damnare, qui suo exemplo illã confirmassent? Ad reliquos autẽ quod attinet, digami post Baptisma, id est, qui vnica superstite vxore non contenti aliam superinducerent, primùm à benedictione, id est, publica cõsecratione excludebantur, adeò quidem vt presbyteris interesse istiusmodi nuptiarum conuiuiis nefas esset. Deinde iubebãtur errorem ab Ecclesia deprecari, & certo temporis spatio à communione arcebantur. Postremò fuit hic modus constitutus huic lasciuiæ, vt cum tertia vxore vix, ac ne vix quidem, quisquam admitteretur in Ecclesiam: quadrinubus autem pro manifesto scortatore haberetur, ac proinde quartam

quartam abiicere prorſus teneretur. Hinc illa quæ & hic Clemens, & Baſilius (vt & veteres Canones alij multi) quũ de veris digamis, id eſt, iis qui plures κατὰ ταὐτὸν vxores habent, rectè ſcripta ſint, ad alios digamos nulla in re peccantes (ad eos videlicet qui plures ſucceſsiuè ducunt in Domino) perperam tranſtulerunt. Vt autem ita ſentiam non res ipſa modò penè clamans me impellit, ſed & rationes manifeſtæ, & eorundem etiam Veterum authoritas. Incontinentiam enim, vt paulò antè dixi, id eſt, quòd aliquis non habens continentiæ donum, amiſſa vxore pergat vti matrimonij remedio, ſiue ſecundò, ſiue vlteriùs repetiti, quis vnquam ſani iudicij homo vitio duxit? Quis verò ita inſaniiſſe Patres, imò ipſos Apoſtolos, ſi huic Clementi credimus, exiſtimarit, vt pro eo quod iubet in Domino fieri Apoſtolus, pœnitentiæ mulctam cuiquam irrogarint? Rectiùs igitur iſta multò tum Epiphanius tum Hieronymus quàm alia multa. Sic enim ille contra Catharos, quãuis in eo, vt antè diximus, aberrãs, quòd quæ in genere dixit Apoſtolus, ad ſolos quos vocant laicos reſtringit. Καὶ ὁ μὲν μίαν ἐσχηκὼς, ἐν ἐπαίνῳ μείζονι καὶ τιμῇ παρὰ πᾶσιν ἐκκλησιαζομένοις ἐνυ-

Epiphan. in Catharos.

πάρχει. τὸν δὲ μὴ δυνηθέντα τῇ μιᾷ ἀρκεσθῆναι τελευτησάσῃ, ἢ ἕνεκέν τινος προφάσεως, πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ κακῆς αἰτίας χωρισμοῦ γενομένου, συναφθέντα δευτέρᾳ γυναικὶ, ἢ γυναῖκα δευτέρῳ ἀνδρὶ, οὐκ αἰτιᾶται ὁ θεῖος λόγος, οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει διὰ τὸ ἀσθενὲς, οὐχ ἵνα δύω γυναῖκας ἐπὶ τὸ αὐτὸ χῇ, ἔτι περιούσης τῆς μιᾶς, ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ἀποχεθεὶς δευτέρᾳ εἰ τύχοι ἐννόμῳ συναφθεὶς, ἐλεεῖ τοῦτον ὁ ἁγίος λόγος, καὶ ἡ ἁγία θεοῦ ἐκκλησία, μάλιστα εἰ τυγχάνει ὁ τοιοῦτος τὰ ἄλλα εὐλαβὴς, καὶ κατὰ νόμον θεοῦ πολιτευόμενος. Id est, *Et is quidem qui vnam habuit, magis laudatur & honoratur à toto Ecclesiæ cœtu. Eum verò qui vna quæ defuncta fuerit contentus esse non potuerit, quive separatione vel scortationis, vel adulterii, vel alicuius mali criminis occasione facta, cum secunda vxore coniunctus fuerit, siue mulierem alteri viro adiunctam, non accusat diuinus sermo, neque ab Ecclesia & vita exclusum denuntiat, sed tolerat ob infirmitatem: non vt duas simul habeat vxores, sed si ab vna seiunctus secundæ legitimæ coniunctus deprehendatur, eum miseratur sermo diuinus, & sancta Dei Ecclesia, præser-*

præsertim si eiusmodi quispiam fuerit alioqui pius, & secundum Dei legem se gesserit. Hæc igitur Epiphanius, vt quidem habetur in emendatioribus codicibus: ex quibus etsi apparet iam tum declinatum fuisse ab Apostolica sentētia de matrimonij etiam repetiti puritate, tamen illud liquet, non fuisse indictam successiuè renubentibus pœnitentiam, ac proinde Canonas illos aduersus digamiam, de iis esse accipiendos qui plures χ' ταὐτὸν vxores haberent, quibus opponuntur quos Apostolus vnius vxoris viros appellat. Sed & Hieronymus ad Oceanum, sedatiore animo hac de re scribēs, longiùs progreditur, vt qui apertè dicat, Apostoli de Episcopis verba de digamia propriè sic appellata intelligi. *Ex Iudæis*, inquit, *erat Apostolus: prima Christi Ecclesia de Israel reliquiis congregabatur. sciebat lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Mosis familiari, populo in multis vxoribus liberos spargere, cuius etiam licentiæ sacerdotibus patebat arbitrium. Præcepit ergo (ne eandem licentiam sibi Ecclesiæ vindicent sacerdotes) ne bina pariter & trina sortiantur coniugia, sed vt singulas vno tempore vxores habeant.* Hæc igitur Hieronymus, omnium maximè idoneus in hoc argumento aduersus semetipsum testis. Placet autem tertium illis duo-

Hierony. Oceano, tom. 2.

bus adiungere Bernardum, recentiorem quidem scriptorem, & quidem infelicissimo seculo natum, sed quem ob synceritatem & lumen spiritus adeò corrupta ætate prorsus admirabile, non dubitem quidem ego multis tum Græcæ tum Latinæ Ecclesiæ doctoribus in multis anteponere. Sic igitur ille de repetitis matrimoniis, *Paulus est*, inquit, *qui concedit viduæ vt cui vult nubat: & tu contrà præcipis, nulla præter virginem nubat, & hoc non nisi virgini, vt non cui vult, nubat & ipsa. Quid manum Dei abbreuias? Quid largam benedictionem nuptiarum restringis? quid proprium vindicas virgini, quod indultum est sexui? Non concederet hoc Paulus nisi liceret. At parum dico, concedit. Vult quoque. Volo, inquit, adolescentiores nubere, nec dubium quin viduas dicat. Quid manifestius est? Ergo quod concedit quia licet, etiam vult quia expedit. Quod licet & expedit, hæreticus prohibet: nihil hac prohibitione persuadebit, nisi quòd hæreticus est.* Hæc ille, & quidem vere continens, vt arbitror. Sed aduersarij nimirum excipient, dici ista aduersus Tatianorum siue Catharorum reliquias, se verò minimè damnare nuptias quantumuis repetitas, sed duntaxat propter incõtinentiam arcere digamos à Clero, non ab Ecclesia. Aliqui etiam fortasse

In Cant. serm. 66.

postu-

postulabunt, vt quum Bernardum citem, adhæream igitur ipsi in eadem illa concione, purgatorium & preces pro defunctis tuenti. At ego respondeo, non hæc à me proferri, vt vel damnandi, vel probandi matrimonij argumēta istis basibus fulciam, vel per omnia his Patribus adhæream, quos ad Verbi diuini normam exigere nobis certum est, vt & ipse Augustinus Pelagianis respondit: sed vt istorum falsitatem suis ipsorum testibus coarguam. Nam certè si vera sunt trium saltem istorum testimonia, falsum scripsit iste Clemens, trigamiam vocans incontinentiam, & quod vltra trigamiam est, manifestam scortationem: neque rectè ob successiuè repetitas nuptias tanquam ob crimen exclusus est quisquam à clericatu. His autem explicatis facile fuerit Veteres de digamis latos Canonas intelligere, quos etiam placuit sigillatim ad Verbi diuini normam exigere.

Ex Synodo Neocæsariana.

Canon huius Synodi tertius sic habet, Περὶ τῶν πλείστοις γάμοις περιπιπτόντων, ὁ μὲν χρόνος σαφὴς ὁ ὡρισμένος, ἡ δὲ ἀναστροφὴ καὶ ἡ πίστις αὐτῶν συντέμνει τὸν χρόνον. id est, *De iis qui in plurimas nuptias inciderunt, manifestum est tempus definitum. Con-*

Can. Neocæsar. 3. 31. quæst. 1. De his qui.

uersatio autem ac fides ipsorum, tempus illud contrahit.

Can. Neocæsar. 7.

Et eiusdem 7, Πρεσβύτερον εἰς γάμους δι-γαμούντων μὴ ἐστιᾶσθαι. ἐπεὶ μετάνοιαν αἰ-τεῖτος τὸ δίγαμον, τίς ἐστιν ὁ πρεσβύτερος ὁ δι᾽ ἑστιάσεως συγκατατιθέμενος τοῖς γάμοις; Id est, *Presbyter in digamorum nup iis cibum ne capito. Quum enim requirat pœnitentiam digamus, quis presbyter illas nuptias connivii gratia comprobarit?*

Explicatio Can. 3. & 7. Neocæsar.

Hunc autem vtrunque Canonem de iis qui post Baptismum vxore adhuc superstite, siue cum qua adhuc permaneant, siue quam deseruerint, aut aliam ob causam quàm ob adulterium repudiarint, alteram superinducebant, intelligi oportere dicimus: cuius exemplum videre est apud Hieronymum in Fabiolæ epitaphio. Nam alioqui si ad eos digamos trahantur (vt postea factum est) qui mortua quotacunque vxore aliam ducunt in Domino, vtrunque dicimus, vt Apostolicæ doctrinæ repugnantem, planè repudiandum: & hinc ortam illam manifestam corruptelam non recte defensam ab Ambrosio, qua factum est vt huiusmodi digamiæ in Ecclesia non benedicerentur.

Ex

Ex Laodicena Synodo.

Canon primus, Περὶ τοῦ δεῖν καὶ τὸν ἐπιλησιαστὸν κανόνα τοῖς ἐλθοῦσι δευτέροις καὶ νομίμως συναφθεῖσι δευτέροις γάμοις, μὴ λαθραγαμίαν ποιήσαντας, ὀλίγου χρόνου παρελθόντος καὶ σχολασάντων τῆς πρεσβυχαΐς καὶ νηστείαις, καὶ συγνώμην ἀποδίδοσθαι αὐτοῖς τὴν κοινωνίαν ὡρίσαμεν. Id est, *Oportere ex Ecclesiastico Canone, si qui liberè & legitimè secundis nuptiis coniuncti fuerint, neque clandestinum matrimonium inierint, exiguo tempore elapso, postquam precibus & ieiuniis vacarint, communionem ipsis ex equitate concedi definimus.* Can. Laodic. 1.

Hunc autem Canonem, vt septimum Neocæsariensem, quum vterque ad veros digamos de quibus diximus (ad eos videlicet qui plures καὶ ταὐτὸν vxores haberent) manifestè referatur, Espensæus alioqui diligens collector, ad posterius digamorum genus præpostero planè iudicio detorsit. Vult enim additum esse νομίμως, id est *legitimè*, vt digami priores ab Ecclesia apertè damnati, ab istis distinguantur quorum nuptiæ secundæ simpliciter nō damnarentur. Deinde λαθραγαμίαν putat significare solennis benedictionis priuationem: vt sit istius Canonis hæc sententia: Iis quoque qui se- Falsa Espensæi interpretatio Can. 1. Syn. Laodic.

cundis nuptiis quantumuis legitimè, id est mortua priore vxore, iungantur, si tamen vsurparunt Ecclesiasticam benedictionem (quæ illis nimirum esset interdicta) pœnitentiam aliquam modicam iniungi. Sed si ita esset, consequeretur iussos istos fuisse λαθριγαμεῖν, vt qui διὰ τὸ λαθριγαμίαν μὴ πεῖσαι multctarentur, id est, quòd Ecclesiastica benedictione essent abusi. Ego verò vbique inuenio λαθριγαμίαν ita damnari (quod etiam ipsa vocis notatio declarat) vt prorsus hallucinari mihi quidem videatur, qui reprehensum, nedum mulctatum, quenquam putet, quòd Ecclesiæ benedictione petita, potiùs clandestinũ matrimonium non inierit. Et quo iure, obsecro, qui in Domino nubunt siue primò siue secundò, clàm id facere, id est, non conscia Ecclesia, & absque presbyteri benedictione, iubeantur? an ne videatur Ecclesia huiusmodi nuptias approbare? imò Ecclesia Apostolica non est habenda, iis cõiugiis benedicere recusans, quæ testatur (imò etiam vult) Apostolus fieri, sicut ante ex Bernardo ostendimus, modò fiant in Domino. An vt vitetur offendiculum? atqui non præbet offendiculum qui à verbo Dei non discedens, siue primo, siue secundo, vel vlteriùs cõiugium init. Deinde quis non videt lõgè maximum esse

Ratio 1.

2

3

esse offendiculum, quempiam cernere in Ecclesia maritum, cuius coniugij testis non fuerit Ecclesia? Inepta est igitur ista horum Canonum explicatio, vt qui de veris post Baptismum digamis, semper in Ecclesia meritò damnatis, intelligantur. Quum autem ab eis pœnitentia, & quidem seuera flagitaretur, additur quædam in hac Laodicena Synodo istius seueritatis moderatio erga eos qui alteram quidem vxorem, sed tamen liberè & legitimè, id est palàm & ritè, neque clanculum, vt facere solent qui malè sibi sunt consci, matrimonium istud iniissent.

Iubet Canon 26. sextæ Synodi, circiter annum Domini 682, corruptissimis iam Ecclesiis, habitæ, presbyterum per ignorantiam illicitis nuptiis implicitum, Domino deflere, & nefarium eiusmodi coniugium dissolui, quem locum Gratianus de secundis nuptiis exponit. Fateor verò hanc esse Gratiani expositionem, sed longè ineptissimam. Quî enim possit aliquis ignorare primas an secundas nuptias celebret? Rectè igitur Balsamon non secundas, sed incestuosas siue cum cognata initas interpretatur: & malè Gratianus illud κατ' ἄγνοιαν omisit.

Ad Can. 26. sextæ Synodi. 31. Distin. De his.

Eiusdem Synodi Canon sextus sacerdo-

Ad eiusdē Synodi Canonem 6.

tes duobus matrimoniis implicitos, itémque viduarum maritos adeò grauiter punit, vt eorum quoque coniugia tanquam nefaria dissoluat, renouatis etiam Apostolicis Canonibus à nobis suprà expositis. At nos, non quid illi Synodo (cuius etiam multi Canones prorsus impuri leguntur) simpliciter placuerit, sed quid ex verbo Dei decreuerit, quærimus. Quænam verò ex verbo Dei testimonia istis planè tyrannicis legibus prætexantur, suo loco expendimus.

Refutatio auctoritatum & rationū pro digamiæ interdicto.

Et hi quidem sunt veteres Canones in veros digamos, vsque ad Syritij & Innocentij, pontificum sanè in hac re impurissimorum, tempora sanciti: quos tamen Canonas nullo iure primùm aduersus plurium successiuè vxorum, deinde in viduarum etiam maritos iampridem & Latini & Græci torserunt. Placet tamen eorum etiam nōnullas rationes expendere. Primùm igitur digamos tanquam opprobrium, à Clero arceri volunt, propter futuræ incontinentiæ suspicionem. Sanè verò, quasi qui continentiæ, & quidem perpetuæ, donum non habet, sacrorum administratione sit indignus: aut quasi maritum & incontinentem esse idem declarent. Quàm sit porrò certum continentis futuræ vitæ argumentum, vel nunquam, vel semel tantùm, idque nonnisi

Prima ratio.

Refut. 1.

2

3

nonnisi virginis, maritum fuisse, discere saltem ex suorum Heliogabalorum, ac præsertim (ne vetera illa repetam) ex Alexandri sexti, Leonis decimi, Pauli tertij, Iulij itidem tertij, Pōtificum scilicet sancti Spiritus via & iuxta sanctos Canonas electorum, inauditis spurcitiis, Catholicos nostros certè nunc tandem oportuit.

Proferunt alij excellentem sacerdotij dignitatem, cur clericis quod laicis non liceat, quasi scilicet inquinatæ sint in sese nuptiæ, ac non potiùs credendū sit Apostolo, honoratas illas in omnibus pronuntianti. Secunda. Refutat.

Origenes omnibus post Apostolicum Conciliis anterior, scribit non solùm fornicationem, sed etiam nuptias ab Ecclesiasticis dignitatibus repellere, nempe secundas, eásque post viduitatem repetitas, vt locus ipse ostendit. Ego verò id concedo scribere Origenem, qui alia etiam ineptiora eodem loco subiicit. Concedo & illud, iam tum non defuisse qui hæc & alia eiusmodi in Ecclesiam inuecherent. De digamis tamen illis Canonas à nobis citatos propterea intelligi debere nego: & alioqui Origenem hîc penitus reiiciēdum, vt doctrinæ Apostolicæ repugnantem dico. Tertia. Origen. in Luc. Hom. 17. Refutat.

Leo primus qui in annum Domini circiter 444. incidit, vir doctus, sed valde am- Quarta.

bitiosus pontifex, quadam ad Africanos E-
Leo Epist. 85. piscopos epistola scribit, *Illam Pauli praeceptionem de Episcopo vnius vxoris viro, adeò sanctam* SEMPER *habitam fuisse, vt etiam de muliere sacerdotis eligendi eadem intelligeretur seruanda conditione fortè illa, prius quàm in eius matrimonium veniret qui aliam nō habuisset vxorem, alterius viri esset experta con-*
Refutat. 1. *iugium.* Sed causa nulla est cur in hoc magis Leoni assentiamur, quàm in eo quod alia epistola præscribere ausus est Episcopis contra Dei verbum & totius purioris Ecclesiæ morem: OPORTERE *videlicet ipsos non dimittere quidem vxores, sed quasi non habeant sic habere, quò salua sit charitas coniugiorum, & cessent opera nuptiarum.* Quomodo vero locus ille Pauli sit explicandus suo
2 loco abundè est expositum.

Quinta. Innocentius primus, vt successiuè, etiam
Innoc. I. epist. 2. c. 6. ante Baptismum, factos digamos à sacerdotio excludat, quasi videlicet de his in Canonibus Apostolicis, quos vocant, fuerit constitutum, hoc causatur, quòd etiam post Baptismum, maneat vxorum numeRefutat. 1. rus. Id verò primùm omnium falsum, deinde etiam si verum esset, ineptum esse dico.
2 Quum enim, vel ipso teste Apostolo, morte soluatur matrimonium, tam est vnius vxoris vir qui defunctis aliis vel octauam,

quàm

quàm qui primam habet: quoniam mortuas vxores tanquam vxores nominare, nõ alius quàm Mõtani paracletus docuit. Dein de etiam si ita esse daremus, vnde iste didicit istiusmodi numerum impedire quominus sit aliquis sacræ functioni idoneus? Imò si deligatur qui vel octogamus successiuè fuerit, sit autem cœlebs, nonne, si Apostolo credimus, hic magis fuerit ad vnicè & sine distractione curanda quæ Domini sunt idoneus, quàm qui vel primam adhuc teneat? Postremò quæ hæc religio est, vxores numerare tanquam impedimenta, scorta verò non item? Nam hoc quoque sanctissimos istos Catholicos facere nihil pudet. 3 4

Augustinus hoc etiam æstu, per Ambrosium fortasis abreptus, non valde dissimilem rationem affert, quam alij postea in suam perniciem arripuerunt: *Quoniam* inquit, *qui excessit singularem vxorum numerum, non peccatum commisit, sed sacramenti normam amisit, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.* Hæc ille: in eo quidem, vt in plurimis aliis, ab Hieronymo rectè dissentiẽs, quòd nullum ne in repetitis quidem nuptiis peccatum agnoscit, quod & ipse Hieronymus alibi, à seipso dissentiens, fateri

Sexta. De bono Coniugali, cap. 18. Ambr. ad Vercell. Epist. 82. Refutat. 1.

cogitur. Sed ista quam affert sacramenti norma vnde tandem desumpta est? *Quia*, inquit Innocentius tertius, *nec illa vnius vnica, nec ille vnius vnius.* Imò verò (quum vxor esse desierit cuius maritus mortuus est, & nemo vicissim mortuæ sit vxoris maritus) & illa vnius etiam (si voles) centesimi vnica, & ille vnius quanuis centesimæ vnus est. Quinetiam si spirituale coniugium ex Apostoli sententia potiùs quàm ex istis vanissimis commentis æstimemus, in repetitis potiùs quàm in primis nuptiis hæc analogia inuenietur, quandoquidem Christus nonnisi vt secundus maritus, mortuo priori marito (peccato videlicet) succedit.

c. debitū, Extra De digamis. 1

2

3

Septima. Epiphan. in Catharos. Refutat.

Itaq; vana etiã est illa ratio ab Epiphanio allata, (quod eius pace dixerim:) *Non suscipere sanctam Dei prædicationem post Christi aduentum, eos qui mortua vxore, secundis nuptiis iuncti sint, propter excellentem sacerdotii ordinem ac dignitatem.* Nam si crimen non est, vt ipsimet vel inuiti fatentur, vxorem ducere, quo iure sacerdotii dignitati detrahere dicetur, quod absolutè & simpliciter pronuntiat per os Apostoli Spiritus sanctus, honoratum esse in omnibus?

Octaua. Ambr. offic. lib 1. cap vlt. Refutat. 1.

At enim, inquit Ambrosius, *quomodo poterit hortator esse viduitatis qui coniugia frequentauerit?* Quasi verò virginitatem aut viduita-

viduitatem laudare non posit etiam qui continentiæ donum non habens, honestum matrimonium, siue vnum, siue successiuè plura, in Domino inierit. Quid si etiam dicam, quomodo ad nuptias hortabitur, qui maritus esse detrectat? Hoc nimirum Ambrosio & omnibus illis falsa ista opinione imbutis, quòd continentia sit quædam omnium virtutum epitome, non modò absurdum, sed etiam ineptum videretur, quoniam nullos arbitrati sunt istiusmodi exhortatione indigere. Sed aliter se rem habere, vt experientiam ipsam omittam, vel ipse Apostolus suo exemplo commonstrauit, qui de viris loquens, expressiùs etiam dixit, *Propter scortationem vnusquisque vxorem suam habeat:* quàm, *Velim omnes esse vt meipsum.* & de viduis agens, *Volo*, inquit, *iuniores viduas nubere.* Certè quanto satius fuerit omnibus seculis, ad castum matrimonium quàm ad inanem cœlibatus sanctimoniam homines hortari, qui nunc saltem non videt, sanè nihil videt, quum Dominus ipse contentus fuerit dixisse, *Qui potest capere capiat.* Denique vbi nulla culpa est, cur pœna statuitur? Coniugium enim & sacerdotium simul stare non posse, non Christus, sed Satan docuit. 2

Idem eodem loco, *In secundo coniugio*, Nona.

Refutat. inquit, *non culpa sed lex est*. Hoc illud est verò (magne vir Ambrosi, cuius virtutum vestigia vtinã vel procul persequi multi possent) quod te cousque fefellit, vt super bonum fundamentum, hanc paleam extruxeris, quam nunc apparens dies Domini cõsumit. vbi enim hanc legem inuenies?

Decima. Sed & illud eiusdem quis excusare possit? *Quid inter populum & sacerdotem*, inquit *interesset, si iisdem adstringeretur legibus?*

Refutat. 1. Quasi verò nullæ sint aliæ leges inter sacerdotem & populum discrimen certum constituentes, quàm istæ quæ sanctimoniæ prætextu sacerdotum ordinem non sanè, vt res ipsa in cælum vsque clamat, supra populum extulerunt, sed infra Sodomam

2 & Gomorrham pessundederunt. Quasi sit ista in Clero, paucissimis exceptis, imaginaria cœlibatus sanctimonia, illud ipsum quod Logici specificam differentiam appellant. Quasi denique, si hoc ita esset, non

3 consequeretur & sacerdotem cœlibem, iis saltem ex populo qui & ipsi continentiæ donum haberent, exæquari: & vnius etiam vxoris virum iis ex populo inferiorem esse qui virgines manserint. Itaque hæc quoque doctrina, stipula est inanis.

Vndecima *Baptismus*, inquiunt Scholastici paulò saniores, *& culpam & pœnam delet, ergo & irregula-*

irregularitatem. Respondent alij, digamiam non esse aut culpam, aut culpæ pœnã. Atqui respondẽdum potiùs erat, nec digamiam esse culpam, nec irregularitatem esse culpæ pœnam. Quæro autem, Si digamia culpa non est, vt ipsi quum libet fatentur, cuiusmodi hæc ecclesia est, quæ non peccantes, vel potiùs ideo nuptias repetentes, ne peccent, eo ipso statuit irregularitatem incurrere? Denique si pœnam nõ meretur digamia, quoniam vbi nulla culpa est, nullus pœnæ locus relinquitur, quo pudore audent Canonas veteres de digamorum pœnitentia loquentes, vel ad successiuas nuptias torquere, vel, si cò spectant, tanquam à Spiritu sancto dictatos defendere? Nam certè nunquam docuit Spiritus sanctus innocentes mulctare. Aut igitur isti secum manifestè confligunt, vt insani solent: aut suam illam digamiam censent post Baptisma culpam esse. Transeant igitur apertè ad Montani castra. Et tamen Espensæus nuper (quanuis interdum rectiùs sentiens) auri nomine dignatus est quod apud Tertullianũ inuenit, *Digamum* videlicet, *ab eo haberi siue plurium simul vxorum, siue alterius priore mortua virum, ne se fortè*, inquit, *moderni solos Græcè nosse, veteres nescisse arbitrentur*. Acutum sanè scom-

Henricus Gãdauẽsis, & qui eum sequuntur. Refutat. 1.

2

3

Digressio.

ma: quasi nos Græcæ alteriúsve linguæ cognitionem vt peculium quoddam nobis vindicemus, quum vsum huius vocabuli proprium ab abusu distinguimus: & eorũ falsas interpretationes redarguimus, qui huius discriminis vel ignoratione, vel dissimulatione, alios secum in pernicioſos errores trahunt. Digamum autem à Tertulliano vocari etiam alterius vxoris, priore mortua, maritum, mirum non est, quum ne morte quidem dissolui prius matrimoniũ somniarit. Itaque videat etiam atque etiam modernorum adeò seuerus castigator, ne hic quoque, vt alibi sæpe, pro thesauro carbones congesserit.

Duodecima. Homicidas, scortatores, quorumvis denique criminum ante Baptismum reos (digamos autem non item) admiserunt ætatis illius Episcopi, qua cœpit perfectio omnis Christianæ, imò Angelicæ virtutis ex duobus gradibus æstimari: priore, si quis continens semper habitus fuisset, posteriore, si quis amissa prima vxore, viduitatem seruasset: crasso sanè ac toti illi vetusto seculo pudendo errore, quasi hac in re positum sit regnum Dei, ac non potiùs in iustitia, pace, & gaudio per Spiritum sanctum, id quod multo pluribus maritis quàm virginibus contigisse nemo possit, nisi summe impudens,

Rom. 14. 17.

dens, inficiari. Qui verò sunt secuti hunc errorem à maioribus acceptum, vix credibile est quantopere illũ auxerint, adeò quidem vt primis etiam nuptiis (cui malo frustrà studuerat Gangrensis synodus, damnato Eustathio, succurrere) non modò tanquam causæ suæ seruientes (sicut in Hieronymo præsertim probauimus) sed etiam ex professo, vt Syritius & Innocentius, maledixerint. Ita eò tandem res deuenit, vt nulli minùs ad sacras functiones idonei habiti sint, quàm qui etiam ante Baptismũ mortua prima vxore aliã duxissent. Istis autem succedentes Scholastici (genus hominum acutum quidem, & in speciem φιλομαθες, sed summè curiosum, cõtentiosum, & partim linguarum & bonarum literarum cognitione destitutum, partim ambitione, ac quouis potiùs affectu, quàm syncero cognoscendæ ac tuẽdæ veritatis studio omnia perscrutans) conati sunt veritatem cũ mendacio, lumen cum tenebris, in hoc etiam argumento, vt in plerisque, conciliare. Itaque quum hunc nodum explicare non possent, cur ante Baptisma digamus, irregularis euadat post Baptisma, de homicida verò aliud statuatur, confugiunt ad sacram suam anchoram, vt decet pontificum mancipia, nempe ad Ecclesiæ beneplacitum. Scholastici.

Refutat.1. Egregia sanè Ecclesia: quasi sit castæ sponsæ aliquid velle præter id quod vult spõsus. *Oues meæ*, inquit sponsus, *vocem meam audiunt.* Et Paulus de his rebus differens: *Non quòd*, inquit, *laqueum vobis iniiciam.*

Obiectio. Respons. Causantur tamen sacri Ordinis defectũ: quia scilicet scortationi, adulterio, homicidio, cuiuis denique sceleri potiùs cum sacro ipsorũ ordine quàm matrimonio, nedum digamiæ, cõuenit. Et quid est, vt quàm modestissimè loquar, culicem quidem colare, camelũ autem deglutire, si hoc nõ est?

Decima tertia Duràdus in 4. Sẽt. dist. 27. q. 4. *Spirituales*, inquiunt alij, *maximè decet spiritualitas, cui quum maximè repugnet concupiscentia, vt qua totus homo caro efficiatur, eius permanentis signum non debet in ordinandis apparere: quod in digamis apparet qui vna contenti vxore esse noluerint.*

Refutat.1. In his verò quàm multa perperàm dicuntur? Primùm enim aliud est naturaliter appetere quàm vri. nec illud (excepta ἀπαξία, quæ in coniugio ignoscitur) repugnat spiritualitati, qualis quidem à seruis Dei in
2 hac vita positis requiritur. Deinde si secundam in Domino ducere signũ est eius permanentis incontinentiæ quæ totum hominem efficit carnem, quod tãdem iudicium fiet de futura scortatoris continentia? & tamen hunc isti admittunt sine controuersia, qui

qui videlicet ante Baptismũ scortator fuerit, digamum verò vsque adeò pertinaciter repudiant, vt de sui etiam Pontificis potestate super huius rei dispensatione, vt loquuntur, adhuc inter se decertent. Quid quòd adulteros etiam in monasterium suis legibus detrudunt? nempe ad sui similium cœtus. 3

Postremò duos etiam ex ipsis Scholasticis coryphæis testes ab ipso Espensæo productos audiamus, vt quàm inanes sint rationes pro digamiæ interdicto allatæ, vel ex ipsis acerrimis eius defensoribus cognoscamus. Sic igitur Thomas, *Manifestum est*, inquit, *digamum non promoueri, nec ad naturæ legem, nec ad fidei articulos, nec ad sacramenti necessitatem pertinere, quia si ordinetur, Ordinis sacramentum recipit.* Sic autem Durandus, *Digamũ non ordinari est ex iure merè positiuo, nec est contra vel naturæ dictamen, vel fidei articulum, vel Ordinis sacramenti essentialia.* Cedò igitur, obsecro, quónam istud interdictum referemus? *Ad diuini cultus determinationem*, inquit Thomas, *cuiusmodi permulta Christus Ecclesiæ prælatis, & populi Christiani principibus determinanda liberè permisit.* Neque verò negamus, quum in domo Domini omnia ritè & ordine fieri oporteat, & ordo iste necessariò pro cir- Decima quarta. Tho. quod lib. 4. art. 13. Durandus vbi suprá. Refutat. 1.

cunſtantiarum ordine varietur, quin leges de quibuſdam ferri in Eccleſia neceſſe ſit. Verùm hoc prætextu leges conſcientiis ferre, & nouum Dei cultum inſtituere, id verò cuiquam vel Angelo vnquam licuiſſe aut licere nunquam iſti probabunt. Quinetiam hoc addo, quanquam millies iam inculcatum, omnes iſtas cœlibatus & digamiæ leges, non modò totidem eſſe ad verbum Dei additamenta, ſed etiam verbo Dei, & puræ veteris Eccleſiæ moribus ex diametro repugnare: ac proinde non aliunde initiò profecta quàm à Satanæ aſtu, ſeſe in Angelum lucis transformantis: nec ab alio nunc ſpiritu quàm ab illo verè impuro defendi: quum hæc ſanè ſit eius horrendæ fœditatis origo, quæ ab apoſtaticæ illius ſedis cloaca in vniuerſum orbem terrarum ſic exundauit, vt vnius iam. diuini extremi iudicij flamma purgari poſſe videatur. Et de polygamiæ quidem vtraque ſpecie hactenus dictum eſto.

FINIS.